DE CODICIS VALERIANI CARRIONIS AUCTORITATE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

PAULUS KRENKEL
RIESENSIS

LUCKAE APUD SAXO-ALTENBURGENSES
FORMIS REINHOLDI BERGER
MCMIX

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

LIPSIUS ET R. HEINZE

LIPSIAE D. IV. M. MAI A. MCMIX.

PROCANCELLARIO

KÖSTER.

MATRI CARISSIMAE

Tabula argumenti.

Conspectus siglorum.

α	archetypus codicum V et S	Par	Parisinus 7647
V	Vaticanus 3277	Q	Escorialis Q I 14
S	Sangallensis	Ac	edd. ante Carrionem
C	c. Carrionis	$Carr_1$	Carrionis ed. I 1565
C_1	lectiones quas codicis C esse Carrio dicit in schol.	$Carr_2$	Carrionis ed. II 1566
C_2	lectiones quas codicis C esse Carrio dicit in castig.	Bon I	ed. Bononiensis 1474
M	Matritensis X 81.	Bon II	„ „ 1498
Ox	Oxoniensis	Ven I	„ Veneta 1500
P	Vaticanus 1613	Ven II	„ „ 1501
Ott	Ottobonianus 1258	Junt I	„ Juntina 1503
m	Monacensis	Junt II	„ „ 1517
B	Bononiensis	Mas	„ Maserii 1519
N	Vaticanus 1653	Pi	„ Pii 1519
R	Regius	Ald	„ Aldina 1523
T	c. J. Valettae	Balb	„ Balbi 1524
H	c. Harlesii	Eng	„ Engentini 1525
Bu	c. Burmanni	Col	„ Colinaei 1532
Cok	c. Cokii	Gryph	„ Gryphii 1545 et 1548
Reg	Reginensis 1831	Parrh	Parrhasius
F	Vat. Urbinatus 353	Sab	Sabellicus.
U	„ „ 669		

Anno huius saeculi quarto prodiit Neapoli nova editio C. Valerii Flacci Argonauticon, quam curavit Caesar Giarratano, qui in praefationis capite tertio multum disseruit de codicibus in Valerii carmine recensendo adhibendis. Qua in re etiam de codice qui dicitur Carrionis denuo quaestionem instituit. Annis enim 1565 et 1566 Ludovicus Carrio[1]) Valerium bis edidit Antwerpiae novo codice usus, qui aliis locis optimas lectiones praebuisse, aliis pravis coniecturis infectus fuisse videtur. Ipse Carrio hunc codicem permagni aestimabat, ex quo 'mille amplius locis' textum se emendasse et quem 'ante hos sescentos annos' scriptum esse affirmabat.[2]) Valde dolendum est hunc codicem iam non exstare[3]) neque eius censuram, quam Carrio in praefatione scholiorum promiserat, unquam in lucem prodiisse, nam de eo viri docti usque ad hoc tempus tantopere dissentiunt, ut alii Carrionem secuti eum perveterem, alii quinto decimo demum saeculo scriptum esse et editorem illum aut ipsum deceptum esse aut aequales fallere voluisse putaverint. Qua de causa Carrionis fides saepe in dubium vocata est, praesertim cum quae

[1]) Carrion legitur in editionis prioris praefatione; contra Meyncke quaest. Valerianae Bonnae 1865 ann. 2 eum hac forma nominis non usum esse nisi in lingua francogallica ex codd. Bernens. 141 et 189 affirmat.

[2]) Dicit in praefatione scholiorum (h. e. annotationum ed. prioris): '. . . . ex veteri codice manuscripto, quem ante sescentos annos conscriptum fuisse gravissima multorum iudicia confirmarunt, quibus quantum hac in re tribuendum sit, tum demum lector agnosces, cum suam de antiquitate censuram, quod brevi futurum spero, in lucem prodire patientur', unde apparet alios quoque viros doctos codicem vidisse, de qua re nihil notum est. Jn praefatione castigationum autem (h. e. annot. ed. posterioris) legitur 'multa sunt quae hoc declarent'.

[3]) Haud sine probabilitate Meyncke l. l. p. 3 sq. suspicatus est codicem anno 1578 Lovanio deleto periisse.

in scholiis et castigationibus de scripturis codicis dicit, saepe inter se discrepent. Quin etiam fuerunt, qui C unquam exstitisse negarent, quae sententia removenda est, cum haud paucae lectiones quas C exhibet, etiam in aliis codicibus inveniantur, non autem in ulla quod sciam editione ante Carrionem, neque profecto eas lectiones, quas ipse pravas esse intellegebat, codici suo tribuisset, quippe quem magnae esse auctoritatis demonstrare studeret. De Carrionis igitur fide quomodo iudicandum sit, infra videbimus, nunc certum iudicium de auctoritate codicis repetendum est ex ipsius lectionibus.

Ut iam dixi, de codicis C auctoritate maxime variae vv. doctorum sententiae exstant. Paucis enim exceptis editores ante Thilonem (ed. 1863) eum propriam memoriam praebere putabant, quos secuti sunt Eyssenhardt (Rh. Mus. XVII 1862 p. 378 sq., Lit. Centralbl. 1867 p. 22), Meyncke (quaest. Valer. Bonn. 1865), Braun (observat. Valer. Marburg 1865), Jeep (Philol. Anz. 1873 p. 144 sqq.), v. Hartel (Ztschr. f. östr. Gymn. 1873 p. 141 sqq.), Keller (G. G. A. 1873 p. 1925 sqq.). Contra Thilo (praef. ed.), Schenkl (Stud. z. d. Arg. des Val. Fl. Wiener Sitzber. 1871 p. 271 sqq.), alii affirmarunt C ex Vaticano noni saeculi fluxisse. Medium autem inter has contrarias sententias tenet Langen (praef. ed. 1896), ita ut C ex V fluxisse, sed ex altero meliore fonte correctum esse persuasum habeat. Et nuper Giarratano quaestione denuo instituta exposuit, codicem Carrionis ex gemello Vaticani vel potius eius archetypi α fluxisse, qua in re Leonem (G. G. A. 1905 p. 182 sqq.) assentientem habet, qui iam in censura Langeni (G. G. A. 1897 p. 960 sqq.) hoc eis locis probari affirmavit, ubi e lectionibus codicis C cognosci posset, quomodo corruptelae Vaticani exortae essent.

Sed priusquam, quae de codicis C auctoritate ipse enucleavi, proferam, aliud praemittendum est, quod ad hanc quaestionem solvendam multum valet.

1.

Ante paucos annos repertus est novus codex Valerianus Matritensis, quem iam Hartel (Wiener Sitzber. 1886 p. 240 et

270/71) ipsius Poggionis[1]) Florentini apographon codicis Sangallensis nunc deperditi esse suspicatus est.[2]) Praeter Matritensem autem habemus alios quattuor codices, qui in Sangallensi restituendo adhibendi sunt, dico Oxoniensem (Ox), Ottobonianum 1258 (Ott), Vaticanos 1613 (P) et 1614. Vaticani minoris auctoritatis sunt, quia eorum archetypum M nunc habemus, ceterorum autem codicum alter ex Sangallensi ipso descriptus est, alter ex altero; sed uter ex altero fluxerit, nondum constat. Giarratano p. XXXVI sperat hanc rem diiudicatum iri scripturis horum codicum, quae ad Silium Italicum pertinent, accurate comparatis — Sili enim Punica et in Ox et in Ott continentur. Et in praefatione suae editionis Giarratano probare studuit Clarkium secutus hunc Sangallensem non ut Thilo et Schenkl putaverant, ex V descriptum esse, sed ex eius archetypo α. Quam sententiam Samuelsson (Eranos VI p. 72 sqq.) diligenter refutare conatus est et ne mihi quidem Giarratano iis quae attulit argumentis persuasisset, nisi aliud atque id gravissimum accedere Lipsius (Rh. Mus. 1908, p. 157/8) me docuisset, quod paucis verbis repetere mihi liceat. Desunt enim in omnibus apographis Sangallensis vv. I 393—442, unde concludas scribam hic duas paginas omisisse, quarum utraque vicenos quinos versus continebat. In V autem his versibus non explentur duae paginae. Dixerit sane quis Sangallensis singulas paginas 25 versuum fuisse, de quo codice nihil notum est. Sed aliud accedit: in V vv. II 213—262 bis scripti inveniuntur, h. e. iterum 50 versus vel duae paginae 25 versuum, unde verisimillimum fit V et S ex uno archetypo descriptos esse, qui in singulis paginis vicenos quinos versus habebat. Cui sententiae a Lipsio prolatae adversarius exstitit iterum Samuelsson in novissima dissertatione

[1]) Poggio in epistula anno 1417 ad Guarinum Veronensem data narrat se in monasterio St. Galli codicem Valerii repperisse, qui Argonautica usque ad v. IV 317 contineret, quem sua ipsius manu se descripsisse testatur, cfs. Thilonem praef. p. LXV sqq.

[2]) Cfs. etiam Clarkium, class. review XIII p. 119 sqq. Huius codicis M primum librum a Loewio ad Baehrentis editionem diligenter collatum publici iuris fecit Hartel, Wiener Stud. X 1888 p. 170 sqq.

(Handskriftjerna till Valerius Flaccus. Eranos 1908, VIII p. 81 —84), tribus imprimis argumentis nisus, quorum gravissimum hoc est: in illa dittographia Vaticani, quam significo siglis Va et Vb, deest in Va et S v. II 240, cum in Vb omissus sit v. 241. Et Samuelsson quamvis concedat V e codice exaratum esse, cuius singulae paginae 25 versuum erant, offendit eo, quod S cum Va plane consentit neque verisimile esse putat duos scribas codices ex eodem archetypo exarantes eundem versum omisisse, quem in hoc archetypo infuisse appareat. Qua de causa eos sequitur, qui S ex V descriptum esse putant et quod vv. I 393—442 desunt, ita explicat, ut in S unum folium interisse dicat. Qua in re quin concedat facere non potest S in hoc folio 50 versus exhibuisse, neque tamen quisquam hunc consensum inter S et α fortuito accidisse existimabit. Atque aliud, quod non minus mirum est, prope tacitus Samuelsson praeterit, scilicet scribam Vaticani duorum versuum, quorum alter alterum statim sequitur, modo hunc, modo illum omisisse. Tantum autem abest, ut hoc sola scribae neglegentia factum esse putem, ut certam eum causam habuisse mihi persuaserim, cur alterum versum omitteret. Quod illis versibus ipsis confirmari censeo:

240 . . . . . 'mixti gemitus clamorque precantum
barbarus ignotaeque implebant aethera voces'.

Quos versus si inspexeris, sensum integrum remanere invenies, etiamsi v. 241 deest, quin etiam hunc versum supervacaneum esse videri. Qua re nescio an v. 241 in α signo aliquo critico instructus fuerit atque eo ita non perspicuo, ut facile ad v. 240 referri posset, id quod scribae et in Va et in S exarandis fecerunt.

Spatio autem, quod interest inter vv. I 442 et II 213, continentur 621 versus, qui 25 paginas expleverunt, si subscriptionem primi libri vel inscriptionem secundi quattuor fere linearum fuisse putas. Supersunt autem octo fere lineae initio totius carminis aptae ad inscriptionem.[1]) Contra hanc sententiam Samuels-

---

[1]) Cfs. Lipsium l. l. vv. II 213—262 igitur continebantur pp. 44 et 45, h. e. duabus paginis, non uno folio, qua re vis argumenti ex his versibus sumpti augetur, nam hoc modo scriba versus in vertendis foliis multo facilius omittere potuit quam si in uno folio extarent.

son alterum suum argumentum profert. Monet enim in V neque inscriptionem aut subscriptionem primi libri neque inscriptionem secundi inveniri, et quas apographa Vaticani his locis praeberent, scribas e ceterorum librorum subscriptionibus sumere potuisse. Unum autem obstat: quamquam enim Thilo non dicit, quomodo in V secundus liber a primo sejungatur, tamen hos duos libros inter se disjungi e consensu omnium apographorum elucet. Et unde Vaticani scriba cognovit post v. 851 esse finem primi libri, nisi in α aliquo modo — fortasse nonnullis lineis vacuis relictis — significatus erat? Quod autem attinet ad inscriptionem totius carminis, Samuelssonis argumentum nihil fere valet, eodem enim iure dicat quis non verisimile esse in α carmen inscriptione caruisse. Sangallensis inscriptionem habuit, cfs. Ott M: 'Gagi Valerii Flacci Balbi Setini Argonauticon Liber Primus' (Incipit M). Num autem V eam habuerit, incertum est, et quamquam Thilo (praef. p. XL) commemorat codicem Pio nono pontifice corii rubri tegumento vestitum esse, non verisimile est illud folium, quod titulum carminis exhibuit, una cum vetere tegumento periisse, cum primus fasciculus membranarum sicut ceteri quaternio sit. Neque initio carminis spatium inscriptioni postea addendae relictum esse videtur, cum iam in prima pagina totidem versus legantur, quot in sequentibus.

Tertium autem Samuelssonis argumentum est, quod negat probari posse omnes archetypi paginas 25 versuum fuisse, nam etiam in V numeros singularum paginarum varios esse. (Cfs. Thilonem p. XL). Qua in re unum monendum est. In libro enim octavo mirum in modum vv. 136—185 transpositi sunt post v. 385.[1]) Sunt autem a v. 186 usque ad v. 385 versus ducenti, h. e. octo paginae 25 versuum, unde sequitur folium quartum octavi libri in α errore post folium octavum positum esse. Accedit, quod v. 460 octavi libri suum locum non obtinet, quem recte posuit post 440 Lemaire in editione sua anni 1825 (Lutet. Paris.). Est autem hic versus ultimus eius paginae, quae

---

[1]) vv. VIII 88—125, 366—385, 136—153 in V desunt, qui hic duobus foliis orbatus est, exstant autem in Monacensi apographo Vaticani.

incipit a versu 436 (386—435, 436—460), cui scriba eum antea omissum ascripsit. Ac ne hoc quidem pro Samuelssone facere equidem puto, quod hic versus est vicesimus quintus, non sextus huius paginae, ita ut in ea 24 tantum versus infuerint, nam si scriba pagina nondum confecta se illum versum omisisse animadvertebat, spatium in fine paginae ei relinquere poterat. Ceterum conferas tabulam:

V teste Thilone		α	
fol. I p. 2	1—11	fol. I p. 1	1—10
II—III	12—87	II—III	36—135
(IV	88—125)	[IV	136—185]
V	126—135	V—VIII	186—385
	186—213	IV	136—185
VI - IX	214—365	IX	386—435
(X	366—385	X p. 1	436—440,
	136—153)		442—460, 441.
XI	154—185	p. 2	461—467
	386—391		

Habemus igitur Vaticanum e codice exaratum, qui in secundo et in octavo libro in singulis paginis 25 versus praebebat, ita ut veri dissimile non sit omnes paginas 25 versuum fuisse; habemus Sangallensem e codice descriptum, qui in primo libro paginas 25 versuum habebat. Denique primus et secundus liber, quod ad numeros versuum singularum paginarum attinet, arte cohaerent. Unde verisimillimum est V et S ex uno eodemque archetypo descriptos esse.

Quod si recte disputatum est, aliud concluditur. Dixi enim supra p. 4 ann. 1, vv. II 213—62 contineri in pagg. 44 et 45 codicis α. Sequitur vv. I 393—442, qui in S desunt, infuisse in α in paginis 17 et 18, h. e. in uno folio. Quomodo autem scriba hos versus in vertendis foliis omittere potuerit, difficilius intellegitur, at hoc folium in α iam defuisse suspicer, cum S ex eo exararetur, h. e. postquam V ex eo descriptus est.

Si autem a v. II 262, qui est ultimus paginae 45 codicis α, usque ad v. VIII 135, ultimum folii tertii libri octavi, versus dinumeraverimus, qua in re ratio habenda est subscriptionum vel

inscriptionum singulorum librorum, ratio non constat. Quod non mirum est, etiamsi putamus omnes paginas 25 versuum fuisse. Nam incertum est, num inscriptionum vel subscriptionum semper idem spatium fuerit atque inter libros I et II. Praeterea autem fieri potuit, ut numeri singularum paginarum eo perturbarentur ut versus omissi in margine ascriberentur, quos si perspicuis signis instructi erant, scribae codicum V et S suo loco restituebant, aut si in margine inferiore aut superiore ascripti erant, eodem loco describebant — habemus enim haud paucos versus suum locum non obtinentes, quos tamen non omnes codicis α scribam falso loco posuisse docemur vv. I 403—10, qui post v. 382 ponendi sunt; in α autem vv. 393—442 uno folio continebantur. Imprimis autem huc spectare videntur vv. VII 276—83, qui quin post v. 291 collocandi essent, iam Thilo non dubitavit. Nam Venus a v. 266 dicta Jasonis referens versibus 276—83 ipsam Medeam alloquitur, vv. 284—88 autem — nullo plane conexu cum antecedentibus verbis — quid Jason dixerit, narrare pergit. Quod vitium Schenkl (l. l. p. 298) exortum esse putabat, ut ipsius verbis utar, 'durch Versetzung zweier Blätter'[1]), id quod equidem non intellego; neque enim quaternos tantum versus singulas paginas antiqui exemplaris continuisse verisimile est. Concedo autem in aliquo libro unum folium errore inverti potuisse, siquidem singulae paginae octonorum versuum erant, qui admodum pauci sunt.[2]) Verisimilius est scribam codicis α versus VII 259—291 (283 Thilo) ita in una pagina descripsisse, ut vv. 276—83 (284—91 Thilo) omitteret, et pagina versu 291 (iam seges) confecta hos versus infra addidisse.[3]) Quod si factum esse putamus,

---

[1]) Sunt enim octoni versus inter se mutati, vv. 276/83 ~ vv. 284/91.

[2]) Tale quid accidisse in Martialis epigrammaton libro primo olim Immisch me docuit. Ubi in nonnullis codicibus carmen illud ad Catonem non epistulam sequitur, sed secundum epigramma. Inerat igitur in alicuius editionis antiquae primo folio epistula, media in priore pagina secundi folii illud carmen quattuor versuum, altera pagina continebat epigr. 1 et 2.

[3]) Ne mireris tot versus in margine additos esse, cfs. primum librum ubi vv. 403—410 transponendi sunt post v. 382 (cfs. Kennerknechtium, Zur Argonautensage, Bamberg 1888 p. 13). Scriba enim hoc libro usque ad v. 382 descripto aberrans a 'magistros' (382) in v. 390 (410 Thilo) 'magistri' vv. 383—390 omisit et pagina v. 410 (402 Thilo) confecta infra addidit.

habemus a v. VII 292 usque ad v. VIII 135 versus 494, ita ut sex lineae subscriptioni vel inscriptioni octavi libri relinquantur. Conferas tabulam:

α.

1. 234—275, 284—291, infra ascr. vv. 276—283.
2.—6. 292—541.
7. 542—593 (desunt vv. 579/80).[1])
8. 594—644 (deest v. 633).
9. 645—653, subscr. sex linearum, VIII 1—35.
10.—11. 36—135 etc.

Addam hanc rem etiam ad rationem, quae inter *α* et C intercedit, pertinere. Carrio enim versuum 277. 283. 285. 295 lectiones hoc ordine commemorat: 285 vulgata; 277 ut tamen (schol.); 283 dignior est et; 295 obruit (obstruit schol.), unde concludas in eius codice ordinem eundem fuisse atque in ceteris codicibus. Sequitur igitur C non ut Giarratano vult ex gemello codicis *α* fluxisse, sed ex *α* ipso. Sane hoc argumentum ex silentio petitum est, id quod tamen licere putes, si videas, quot verba faciat Carrio ad vv. I 303 et III 10, quos in suo codice suo loco se legisse affirmat, cum in ceteris omnibus codicibus falso transpositi sint. Concedo autem rem incertiorem esse, quam ut pro firmo argumento haberi possit.[2]) Qua de causa aliunde certiora argumenta sunt petenda.

---

[1]) Quot versus post VII 578 et 632 desint non constat, neque magis constat, num iam in *α* defuerint, nisi hoc inde concludas, quod in ll. I—IV 317 excepto versu II 241, ubi singularem causam omittendi fuisse supra demonstravi, nulli versus desunt in V nisi iidem in S, ergo etiam in *α*.

[2]) Num alii versus huc spectent, diiudicare non audeo, respicias autem quaeso hoc: v. III 10 positus est post v. 25, v. V 407 post 426 neque v. VI 102 suum locum obtinet (deest v. 78). Quem Caussin post 67, Wagner post 98, Heeren (de chorographia a Val. Fl. adhibita, diss. Gott. 1890 p. 24) post 119 posuerunt. Res difficilis est diiudicatu et unum tantum addam. Versu enim post 67 posito offendit Langen eo, quod Euarchus, qui prope Sinopen urbem in Pontum influit, una commemoratur cum Gero (Γέρρος), qui in Maeotin lacum influit, et cum Byce lacu, quae est pars Maeoticae paludis. Sed Taras omnino ignotus est et in v. 67 Gangaridae, quae est notissima gens Indiae, quam Valerius h. l. certe non dicere vult, gentem haud procul a Maeotide lacu sedes obtinentem significare videntur. Quo igitur impedi-

II.

Jam Thilo et Schenkl, ut supra dixi, putabant C ex V fluxisse, id quod haud paucis locis comprobabant, ubi V et C aut easdem corruptelas praebent (Thilo p. LXXXIII), aut corruptelas codicis C ex codicis V exortas esse affirmabant (cfs. Thilonem p. LXXXI sq., Schenklium p. 333 sq.). Quid autem obstat, quin putemus illis locis easdem corruptelas atque in V iam in α fuisse? Qua de causa imprimis in censum veniunt libb. I–IV 317, ubi ex V et S α restitui potest. Ac primum quidem ei loci afferendi sunt, in quibus in V lacuna exstat, cum S veterem lectionem praebeat. Dolendum est unum tantum huiusmodi locum exstare, ubi quid in C fuerit Carrio annotat. Legimus enim III 638 in V 'ferens iurgia', cum S exhibeat 'ferens fera iurgia', quae quin scriptura codicis α fuerit non dubito: respicias quaeso syllabam bis exstantem 'fer —', qua in errorem adductus scriba Vaticani 'fera' omisit. In C autem inveniri testatur Carrio 'furens in iurgia', quod etiam in Bu inest, et simile aliquid habemus in T B m: 'ferens in iurgia'. Scribendum est 'serens fera iurgia', cfs. Verg. Aen. XII 228 et VI 160: 'multa vario sermone serebant'. Quo Koestlin (Philol. XXXIX p. 425), quem sequitur Langen, offendit, scilicet quod 'insequitur' absolute dictum sit insolitum, nullam equidem video offensionem, cum res e toto conexu sententiarum minime sit dubia. Praeterea conferas VI 239:

'sic adeo insequitur rabidoque ita murmure terret:
quisquis es, infelix celera puer' etc.

Addam huic loco alios complures, quamquam quid ibi C habuerit Carrio non dicit: II 632 . . . V, sub T m Ac Carr, *per S[1]), I 811 aut precor ille mei dignatus V, aut nati precor ille mei d. m Ac Carr, *aut precor ille mei nati d. S (cfs. Giarr. p. XXXIX),

---

mur quin etiam Euarchum, qui admodum notus fluvius fuisse non videtur, in eadem regione esse poetam cogitasse vel finxisse putemus? — Inter hos autem versus, quos dixi, conexus restitui nequit, neque enim demonstrari potest et librum V et librum VI a nova pagina incepisse. De libro III vide infra p. 14 ann. 2.

[1]) Asterisco instruxi eas lectiones, quas genuinas esse puto.

quod in textum recipiendum est[1], non ut adhuc omnes editores fecerunt, Monacensis lectio, quae correctori debetur. Videmus autem Carrionem his locis semper idem praebere atque Ac, quod idem fit eis locis, ubi cum S consentit: I 608 . . . V, et m, *at S Ac Carr. II 167 tum voce deos questibus V, tum voce deos et questibus m, *tum voce deos tum questibus S Ac Carr. IV 149 . . . V, *et S Ac m Carr. Sed his locis nihil certi efficitur, cum, ut supra dixi, Carrio de sui codicis lectionibus nihil addiderit.

Videamus autem, num alii loci in promptu sint, e quibus appareat, quae ratio inter V et C intercedat.

Ac primum quidem habemus complures locos, ubi lectiones, quas Carrio in C inesse testatur, ex corruptelis Vaticani exortas esse apparet, has autem corruptelas in α nondum fuisse Sangallensis testimonio docemur.

II 81 exhibet S *'terra fugat', V 'terra fugae' teste Thilone, sed e nova collatione Samuelssonis (Eranos VI) comperimus in V potius legi 'fuget', quod e 'fugat' aberratione scribae in sequens 'piget' exortum esse puto. In α quin 'fugat' (aut iam 'fuget'?) fuerit, non dubito, nequaquam erat in α 'fugae'. Litterae autem Vaticani hoc loco tam obscurae sunt, ut et scriba codicis m et Thilo legerint 'fugae', quod idem infuisse in C verisimillimum est, quamquam non apertis verbis Carrio dicit, quid in C legerit. Annotat enim tantum in castigationibus: 'hanc lectionem servavi ut vetustiorem et meliorem illa alia: terra fugat'. Sed cum haec lectio in nulla quod sciam editione ante Carrionem insit neque eam coniecturam esse appareat, eam codici C tribuere licebit.

Paulo incertiores, quia V et S inter se discrepantibus suspicari tantum licet, quid α exhibuerit, sunt hi loci:

III 539 eoi pe^r^cula regni V, 'r' a prima manu suprascripto, pericula S, unde in α fuisse probabile est 'percula' corruptum e *'fercula'. C autem praebet 'pocula', quod e 'pe^r^cula' V exortum esse verisimile est.

II 26. altu V, *altum S, unde concludas in α fuisse 'altum'

[1]) Scriba aberrans a 'mei' in 'nati' hoc omisit.

vel 'altũ'. In C autem legitur 'alto', quod ex 'altu' correctum est.

III 566 strodere V, *stridore S, quod etiam α exhibuisse videtur, de trude C, quod propius accedit ad Vaticani scripturam.

His locis addi fortasse possunt: II 86 poenaque V, *poenasque S, quod etiam α praebuisse videtur, praesertim si respicias, quanta neglegentia scriba codicis V usus sit, id quod optime intellegas e dittographiis quae dicuntur Vaticani (cfs. Braunium l. l. p. 5, Giarr. praef. inde a p. XVIII). C autem praebet 'poenamque'.

II 176. dedissed V, *dedisset S, dedisses C. Ad dedissed V cfs. II 238 propereset, incenthia Va, propere sed, incendia Vb.

I 256 ostenderet V, ostentarat S, ostendebat C m, *ostentabat.

Atque aliud accedit. Legimus enim III 11 in V et S 'clite', cum P m 'dite', m_2 'dites' exhibeant. m autem, qui e V exaratus est, unde hanc formam sumpsit nisi ex 'clite'? cfs. etiam I 416 clare V, dare m, *clarae m_2. V autem minusculis litteris scriptus est, cfs. Chatelainium, Paléographie des classiques latins II, planche CLXV, ubi photographice depicta sunt Vaticani fol. 55b—56a, quibus paginis continentur vv. III 716—IV 18. A minore littera etiam omnia nomina propria incipiunt, nisi initio versuum leguntur, ubi omnia verba a maiore littera incipiunt. Ergo hoc quoque loco in V est 'clite', unde scriba codicis m fecit 'dite' item atque scriba codicis C, quod postea demum correctum esse in 'ditem' suspicor. Neque enim hic consensus qui exstat inter C et m, quemque iam supra in lectione 'fugae' invenimus, eo explicari potest, ut C ex m fluxisse putemus, cum C multo magis accedat ad V quam ad m, id quod infra p. 35 sqq. accuratius exponam. Ac ne id quidem necesse est putare C ex m correctum esse.

Ex his quos attuli locis quamvis paucis tamen efficiendum esse puto codicem Carrionis esse apographon Vaticani. Quaeritur autem, utrum C ex ipso V pendeat an ex apographo huius codicis. Quod iam Schenkl (l. l. p. 329/30) affirmavit, non certis argumentis confirmavit. In illos enim errores, quos

Schenkl enumerat, perpaucis exceptis etiam scriba codicis C, cum C ex V describeret, incidere et corrector eos postea neglegentia praeterire potuit. Multo igitur plus hac in re diiudicanda valent glossemata et interpretamenta, quorum nullum quantum scio vestigium in V inter lineas invenitur. Dicat sane quis talia glossemata in C ipso aliquem correctorem inter versus scripsisse. Estne autem credibile Carrionem ea ne uno quidem loco commemorasse, sed tacitum recepisse textu neglecto? Quod equidem non credo neque obstat, quod C, ut editor ille ad v. I 679 annotavit, nonnullis locis alia manu depravatus erat. Quocunque enim modo de Carrionis fide iudicatur, minime, si textus bonum sensum praebuisset, prava glossemata, quae ipse removebat, lectiones codicis esse simulasset, quippe quem summae auctoritatis esse ut ostenderet, maxime operam daret. Neque hoc modo glossemata explicantur, ut dicant scribam codicis C ipsum textum mutasse aliaque verba pro aliis substituisse, cum V ipse non legeret, sed legentem aliquem audiret scribens. Quod nonnullis locis fieri potuisse concedo, ubi verba sono similia substituta sunt, aliis autem locis haec sententia reicienda est.

Ac primum quidem de uno loco verba facere mihi liceat, quem adhuc viri docti nimis neglexisse mihi videntur. Praemonendum autem est, me ea, quae de hoc loco proferam, certissima esse non affirmare neque me ignorare nonnulla meae sententiae obstare. Tamen silentio praetereunda esse non puto, quae fortasse aliquid ad hanc difficultatem solvendam valeant.

Legitur enim III 9 in α:

'Cyzicus abscessu lacrimans coniunx persocia vestes
quas dabat' etc.

versus noni posteriore et decimi priore dimidio aberratione scribae omisso. Invenitur autem v. 10 in codicibus post v. 25. Carrio autem in scholiis ad v. 25 annotat: 'Muneribus primas. hoc illud est hemistichium . . . ita legi debet ex vet. cod.

'Cyzicus abscessu lachrymans cui tradit amicis
muneribus primas coniunx Percosia vestes
quas dabat' etc.

In utriusque autem editionis annotationibus ad v. 10 haec dicit: 'Mirari sane soleo quibusdam hunc interpretari aggressis non suboluisse volnus hic plusquam Chironeum latere', quamquam iam in editione Aldina anni 1523 versus decimus suum locum obtinebat et Carrio se hac editione usum esse ipse alibi testatur. Neque in castigationibus quidquam Carrio de codice suo dicit, quamquam ibi quoque bis de hac corruptela verba facit (ad vv. 10 et 25), conferas enim verba eius ad v. 25 haec: 'Postibus ora. Post hunc versum in omnibus vulgatis legitur ille: Muneribus primas: et quem superius desiderari admonui: huc vero scioli volente nolente sensu traxerunt'. Qua de causa Thilo (in app. crit.), Schenkl (stud. p. 331 ann. 41), Giarratano (in app. crit.), alii Carrionem ipsum illud supplementum versus noni dedisse putaverunt. Quod falsum esse persuasum habeo. Verba enim 'cui tradit amicis' tantum abest, ut in sensum quadrent, ut omni conexu careant. Quo enim refertur illud 'cui'? et 'tradere alicui aliquid amicis muneribus' tantopere a latino sermone recedit, ut minime Carrionem haec scripsisse putandum sit, quippe qui homo latini sermonis peritus fuerit.[1]) Valerio igitur ipso quoque haec verba indignissima esse apparet.

Neque omnino illum, qui huic loco medelam afferre studuit, supplementum tale dedisse, quale in C legi Carrio testatur, pro certo habeo. Quo autem modo haec lectio exorta sit, explicare vix possumus, nisi putamus supplementum suprascriptum fuisse, quod postea depravatum est: aut verba exciderunt, quibus sententia magis perspicua erat, aut ordo verborum mutatus est, id quod verisimilius esse mihi videtur.

Rem enim ita se habere puto: Legebat doctus quidam versum nonum corruptum, qualem V S eum praebent et non ignorans hic mendum esse, cum ei aptum supplementum in mentem non veniret, sensum soluta oratione hoc modo integrum reddere studuit:

---

[1]) Cui non obstat, quod haec verba in eius editione leguntur, nam aliis quoque locis lectiones aperte falsas codicis C in textum recepit, nulla alia re nisus ut videtur nisi auctoritate huius codicis, velut III 640. IV 68. V 564. 642. VI 336. 755. al.

amici cui tradit
'Cyzicus abscessu lacrimans coniunx Percosia vestes
quas dabat et picto' etc.,

quod ita legi voluit: Cyzicus abscessu lacrimans amici cui tradit coniunx Percosia vestes. Pro certo autem habeo hunc correctorem v. 10 suo loco nec legisse nec restituisse, quia mihi non persuadeo quemquam 'tradere muneribus' coniunxisse, qui si lacunam explere voluit, latini sermonis peritus fuerit necesse est. Tum alius corrector, fortasse scriba codicis C. verba suprascripta metro accomodavit scribens 'Cyzicus abscessu lacrimans cui tradit amici', omisso 'coniunx Percosia vestes'.

Qua in re nihil refert Carrionem in C legi 'amicis' annotare, quod 's' aut errore e fine antecedentis versus irrepere aut ab homine latini sermonis parum perito addi potuit. Carrionem ipsum versu decimo restituto hoc 's' addidisse vix est credibile, et quod in scriptura prioris editionis legitur 'amici', facile operarum errore explicatur.[1]) Quis v. 10 suo loco restituerit, nunc non diiudico, de qua re cfs. infra p. 27.[2])

Jam conferas hos locos maioris momenti: III 534 *sic blanda profatur α, sic voce profatur C, neque dubium est, quin 'voce' glossema fuerit ad 'blanda': 'blanda voce', id quod iam Thilo vidit (p. LXXXII). In V autem nihil legitur nisi 'blanda' neque in C aliud quicquam infuisse nisi 'voce' inde cognoscas, quod Carrio lectione, quam ipse reiciebat — scripsit enim in utraque

---

[1]) Aliter res se habet II 283, ubi in V legimus 'patrios furtis accendere (*accedere) saltus', unde in C factum est 'patrios bustis accendere saltus' quod non exstat nisi in C_1 $Carr_1$, cum in C_2 $Carr_2$ legatur 'patri*is* bustis', quam mutationem haud sine probabilitate Carrioni ipsi tribuas.

[2]) Certum mihi videtur C vel γ e codice exaratum esse, in quo v. 10 suum locum non obtineret. Suspicio autem oritur hunc versum in α falso transpositum esse, quia in V S versum 25 (24) sequitur, dummodo liber tertius a nova pagina inciperet. Sunt autem a v. II 263 usque ad finem secundi libri vv. 402 et fieri potuit, ut scriba a duobus extremis versibus novam paginam non inciperet, sed eos proximae ascriberet, fortasse cum parte subscriptionis, ita ut sequens pagina contineret 'Incipit tertius' et 24 tantum versus. Concedo autem hoc quoque argumentum infirmius esse, quam ut eo niti liceat.

editione 'blanda' — auctoritati codicis non obtrectaturus fuerit, nisi re vera in C haec scriptura infuisset.

III 623 *variant (variunt V) qui (*quia) pectora curis α, quibus anxia pectora curis C, ubi verisimile est suprascriptum fuisse II 113 'o variis coniunx nunc anxia curis'.

I 144 *optimus hasta hic Peleus hic ense furens agnoscitur Aeson α[1]), ut ex VS apparet neque ut Meyncke voluit 'hc̄ Peleus hc̄ . . . furens'. Ceterum scribae Vaticani, ut erat homo latini sermonis admodum ignarus, num talis coniectura tribui debeat, valde dubito. In C autem legitur 'hac Peleus hac parte furens.' Verbis 'hac — hac parte' doctus quidam ostendebat 'hic' non esse pronomen demonstrativum, sed adverbium loci; qua in re sane diiudicari nequit, utrum suprascripserit 'hac-hac parte' an solum 'hac parte' et alterum 'hic' postea demum in 'hac' mutatum sit, ut sermo concinnus esset, id quod verisimilius est.[2])

Spero me his quos attuli locis satis probasse C non ex V ipso pendere, sed e codice aliquo γ, qui ipse e V exaratus est. Itaque alias quoque lectiones, quae in C solo exstant quaeque e glossis exortas esse vv. dd. putaverunt, huic codici tribuere licebit, velut II 547 *armis α, artus C (Giarr. p. XXXIII), ut significetur 'armis' non derivari ab 'arma', sed ab 'armi'. VI 225 *candentis V, splendentis C (Thilo). VII 241 *quando potes V, quoniam potes C. 'quoniam' autem glossema esse pro 'quando' = 'quandoquidem' a Valerio saepius adhibito pro certo habeo.

---

[1]) Cfs. Stat. Theb. V 661. IX 303. Statium enim Valerium multis locis esse imitatum satis constat, cfs. Summersium, A study of the Arg. of Val. Fl. Cambridge 1894 p. 8 sqq., Manitium, Philol. XLVIII p. 261 sqq. al.

[2]) Talia saepius inveniuntur, cfs. I 242 quando videtis quantisque datur C, * tantisque datur. II 133 *haec tibi principia hinc VS, hinc tibi pr. hinc C. II 168 *iamque toris adque (*atque) oscula VS, iamque toris iamque oscula C. IV 600 *quas Iris aquas aut torqueat Ancon V, qu. J. a. quas torqueat Ancon C. VI 269 *en cuius — non ait V, en cuius — en ait C. VII 44 *sic spreverit una — ut vivos . . . reportet V, ut spreverit una — ut vivos . . . reportet C.

Fortasse huc spectant VIII 17 *prodit V, profert C (Giarr). IV 128 *tumidis avertere ventis α, motis avertere ventis C. VII 202 *comes ire sorori V, comes esse sorori C. III 709 *evulsa α, excussa C.

Non huc pertinere puto IV 722 *glaciantibus V, glacialibus C (Giarr.), quod potius errore scribae exortum est. Addam autem alios tres locos:

VI 735 *quoque V quoque et hunc C. De hoc loco cfs. Thilonem p. LXXV dicentem 'et' additum esse, quod scriba 'quŏque', non 'quōque' legisset. Ego potius affirmem suprascriptum fuisse 'et': 'quō$\overset{\text{et}}{\text{que}}$' ut significaretur non 'quŏque' legendum esse, praesertim cum in v. 734 iam antecederet 'quo'. Cuius loci similis est V 714 iamq videt V; in γ fuisse suspicor 'iam$\overset{\text{et}}{\text{que}}$ videt', unde in C legitur 'iam videt et', quod a correctore metri causa transpositum est.[1]) Denique haud scio an huc referatur V 390, ubi pro 'animos adque' V in C legitur 'animo sed et' teste Carrione (ex 'animosad$\overset{\text{et}}{\text{que}}$'?[2])

Apparet codicem γ non solum his, sed aliis quoque locis manus correctoris vel correctorum passum esse, id quod etiam in codice C factum esse suspicari licet ex eis, quae Carrio ad v. I 678 annotavit. Quomodo autem de singulis lectionibus a memoria codicis V discrepantibus iudicandum sit, in quaestione quae sequitur accuratius exponam.

III.

Jamdudum vv. dd. animadverterunt, lectiones codicis C permultis locis congruere cum lectionibus editionum, quae ante Carrionem in lucem prodierunt, cfs. Thilonem p. LXXIII sqq., Schenk-

[1]) Erravit Thilo, cum annotaret in C legi 'iam videt'. Exhibet enim $Carr_1$ 'iam videt et' quod in C inesse testatur in scholiis, $Carr_2$ autem 'iamque videt', cum in castigationibus editor locum tacitus praetereat.

[2]) De verborum distinctione cfs. Thilonem p. XVI, qui dicit eam esse in V aut nullam aut perversissimam, unde scriba codicis m saepe erravit, veluti II 422 i memoriterrae V, immemori terrae m, VI 121 quas otaccs V, qua sotaces m, VI 556 cassa ridens V, cassari dens m. Eadem de causa haud paucae corruptelae etiam in C exortae sunt, quorum complures infra commemorabo.

lium p. 317 sqq., al. Quodsi quis affirmat hunc consensum inde explicari, quod et correctores codicis C vel γ et illos editores aliis codicibus nunc deperditis usos esse, qui meliorem memoriam quam V et S, quin etiam quam α praeberent, hoc fieri potuisse concedo, dummodo cuiquam contingat, ut demonstret, re vera alios codices veteres illis temporibus in manibus vv. doctorum fuisse, qui Argonauticon textui emendando operam dederunt. Hoc autem Meynckeo conanti non contigit, sed recte eum refutavit Schenkl (stud. p. 310 sqq.), cum diceret illum codicem Bobbiensem, qui in catalogo X. saeculi commemoratur[1]), non tota Argonautica, sed aut primum tantum librum aut, id quod verisimilius est, sententias tantum excerptas continuisse, similiter ac Parisinum 7647[2]) et codicem Angeli Politiani fuisse apographon Vaticani Matthia Corvino rege auctore factum, denique Pium praeter V nullo antiquo codice usum esse. Qua de causa lectiones illarum editionum differentes a Vaticani et Sangallensis lectionibus iure pro coniecturis habentur.

Apparet consensum imprimis in veris lectionibus saepe casu exoriri potuisse, id quod multo rarius fieri solet in falsis lectionibus, quare ab his incipiendum est. Imprimis hic in censum venit editio Baptistae Pii anni 1519. Iam Schenkl (p. 319) complures locos, qui huc pertinent, enumeravit, sed non id inde effecit, quod efficiendum erat. Legimus enim VI 129 Mycael V. Pius ad hunc locum annotat: 'Mychael est in prisco codice. si conicere licet et in re dubia industriae locus est aliquis, crediderim populos eos, quos Ptolemaeus in quinto (V 95) in ora Colchidis ponit et Michlepsos sive Mechlessos iuxta diversitatem codicum vocat, ab hoc poeta barbarie parum emollita, ut in pluribus nominibus propriis Maro fecit, Mycæles appellari, ut idem sit Mycael qui Michlesus. Quinam populus sit Mycael vel ut alii legunt Michael, non memini me legisse.' Mirum autem in modum huius formae 'Mycæles', quae apud Pium ipsum non in textu, sed solo in commentario exstat, quamque Pius, nisi ipse sibi finxisset,

---

[1]) cfs. Bekkerum, catalogi biblioth. antiqui XXXII 477.

[2]) cfs. etiam Manitium, Philol. XLVIII p. 254, qui in codice Berol. ms. Diez. B. Santen fol 29a invenit 'Flaccus in primo Argonauticon'.

certe exemplis confirmasset neque ex illo loco Ptolemaei derivare studuisset, dico huius formae simillima in C legitur teste Carrione: 'Micelae', ita ut mihi quidem dubium non sit, quin qui 'Micelae' textui inseruit, illam formam Pii 'Mycæles' ante oculos habuerit. Quid hic scribendum sit, incertum est, fortasse autem Thilo recte suspicatus est, cum proponeret 'Siraci' ex Plinio NH IV 83, cfs. enim mirum consensum in nominibus propriis exstantem inter Plinium IV 83—88 et Valerii librum sextum, imprimis vv. 67—150.[1])

Quamquam hic unus locus sufficit ad demonstrandam rationem, quae intercedat inter C et Pii editionem, tamen alii complures neque minus graves exstant:

III 433 *ramoque vocat α Carr, Pius: 'scribe novat, ad pristinam vigorem reducit.' novat C.

IV 580 excidit aures V, Pius: 'scribo exciit, id est commovit, impulit.' exciit C_1, exiit C_2 Carr. *excidit auris (aur*es* aberratione scribae in finem versus antecedentis 'volucres' exortum est.)

V 269 hunc qui V Ac, Pius: 'scribe hunc quoque'. hunc quoque C Carr, *hunc quin Heinsius.

V 591 iunctis V, Pius: 'scribe unctis', quod exemplis confirmat. unctis CT_2 $Carr_2$, *cunctis Bentley.

IV 645 defigere V, Pius: 'prisci codices habent diffugere'. diffugere C Carr, quod quin falsum sit, dubitari nequit. Neque enim coniungi posse 'dumque ocius instant ferre fugam' Langen recte vidit. Quidnam fugiunt? Petunt potius saxa, quae nondum intraverunt. Sensus est igitur, ut iam Langen annotavit: dum propius ad saxa accedere student, maria ante ratem ferre fugam Minyae vident. Nam montes discedunt, quare fit, ut undae, quae ante navem sunt, in eum locum rursus fluant, unde concurrentibus saxis detrusae sunt. *Con*fugiunt igitur maria in unum locum, quod inesse in '*dif*fugere' Langeno affirmanti non credo. Diffugere enim iam Pius recte explicavit per 'in diversas partes

---

[1]) Cfs. etiam Petersium, De Val. Fl. vita et carmine, diss. Regimonti 1890 p. 73.

fugere.' Etiam in eo haerendum est, quod tum maria fugere bis dicitur. Quibus de causis cum Burmanno scribendum est 'deficere' hyperbolice a poeta dictum. 'g' et 'c' autem saepissime confunduntur.

III 207 ingentes donec sonitus α. Pius: 'scribendum donat: prodit et efficit, vel duplicat.' donat C Carr, quod recte scribi non puto; exspectatur potius aliquid 'auget' sequentis simile.

I 157 ergit V_1, vegit V_2 ('ve' in rasura), Pius: 'quidam legunt gerit.' gerit C m_1 ('ger' in rasura, erasae sunt quattuor litterae, quarum extrema 'q' fuisse videtur. Thilo) Carr, *erigit, cfs. Val. Fl. VI 74.

'ille [Perses] super socias clementi turbine gentes
erigitur.'

Eadem verba confusa sunt VI 186 *erigit V, Pius: 'egerit alii emendant'. egerit C_1 Carr, cfs. Verg. Aen. III 422

'sorbet [Charybdis] in abruptum fluctus rursusque sub auras
erigit alternos et sidera verberat unda.'

et Verg. Aen. III 575

'Interdum scopulos avulsaque viscera montis
erigit eructans [Aetna] liquefactaque saxa sub auras
cum gemitu glomerans fundoque exaestuat imo.'

VI 573 hunc fugit V C_1 $Carr_1$, Pius: 'scribe hunc fugat.' hunc fugat C_2 $Carr_2$, *hic fugit.

I 678 pascit α Ac, pascet Pi Eng Col Gryph C_2 $Carr_2$.

I 771 *aevum rudis α, rerum rudis Ac, Pius in commentario: 'aevi rudis: expers aetatis, non integer aevi'. In textum recepit 'rerum'. aevi CT Bon II $Carr_2$.

I 34 *clusus α, Pius in comm.: 'clausus et circumdatus in ore leonis pro galea.' clausus C Carr.

I 42 *audis α, Pius: 'audis: audisti fortassis a nobis.' áudisti C Carr.

In veris autem lectionibus consensus exstat his locis:

III 337 longo α Ac, Pius: quid si 'longe?' *longe C Carr.[1])

III 1 undas VS Ac, Pius: 'sunt qui umbras emendant, vel antiquo codice repugnante'. *umbras C H Parrh[2]) Carr.

---

[1]) longae $Carr_1$ operarum vitium.

[2]) In margine exemplaris Bon II, quod Neapoli in Bibl. Nat. asservatur (Giarr. p. XI).

IV 242 eluctus α, selectus T Ac, Pius: 'selectus: ad hoc certamen electus'. *electus C $Carr_2$.

VI 113 aulas codd Ac C_1, Pius: 'quid si legis auras, non aulas, quamvis et in prisco codice legatur aulas?' *auras C_2 Bu Carr.

III 333 tempora α Ac, Pius: 'tempora quoque habent antiqui codices, emendati vero corpora.' *corpora C Carr.

VIII 23 sihmo V, Isthmo(s) Ac, Pius: 'legendum est Isthmon per accusativum'. *Isthmon C Carr.

VI 129 odorataspirantes V m, *odorato spirantes CT_1 m_2 Pi Ald Carr, quod cum in eodem versu legatur atque illa coniectura 'Micelae', ex Pii editione sumptum esse verisimile est.

Locis qui sequuntur Pius non iam quae ipse coniecit proponit, sed quae in suis codicibus legit:

IV 402 raptatus V m, rapta furens edd. ante Eng, rapta furit Eng sqq., Pius: 'in prisco codice, quem valde probo, scriptum est raptatur Graias'. *raptatur Graias C Pi Carr.

V 338 frater et amen conantes qui V m, fr. et a. conante sequi V_2, frater et amens conante sequi T_1, Pius: 'In antiquis exemplaribus sincerae lectionis apparet indicium, legitur enim: fratre tamen conante sequi'. Quod idem in C inesse testatur Carrio.

V 641 luctus codd Ac C_1 $Carr_1$, Pius: 'Promam quae in antiquissimo quod secutus sum in plurimis exemplari deprehendimus. In eo sic legitur: tantum mihi lucus et agger.' *lucus C_2 $Carr_2$.

VII 83 ionius magis V m, magistetr V_2, Pius: 'Sic habet vet. exemplar: non ita Tyrrhenus stupet Joniusque magister'. Idem esse in C Carrio testatur.

Addo complures lectiones, quas Pius aut ipse coniecit aut alios coniecisse commemorat, sed quae non solum in Pii editione, sed etiam in una vel altera earum, quae sequuntur et ante Carrionem in lucem prodierunt, leguntur:

I 38 tranquilla timens V S Ac, Pius: 'Sunt qui legunt tuens, respiciens. exemplaria tamen antiqua timens omnia servant.' tuens C Parrh Ald Balb Turnebus Carr.

VI 538 simulacra panis V m, Pius: 'Scribe vetusta lectione ansam dante: non pascua nec bos hic tibi, nocturnis mitte haec simulacra rapinis.' simulac(h)ra rapinis C Pi sqq. Carr. De hoc loco cfs. infra p. 77.

VII 541 tiberine V, tibarine T Ac, Pius: 'Scribe liberne'. *liberne C T_1 Pi sqq. Carr.

VI 373 bellavimus codd Ac, Pius: 'Quid si bellabimus legis?' *bellabimus C T_1 Pi Eng sqq. Carr.

VI 523 spirantiacervi V, Pius: 'scribe spirantis acervi', *spirantis acervi V_2 C Pi sqq. Carr.

III 152 zelen m (V deest) C_2 Ac $Carr_2$, Pius: 'Scribo tamen Zelyn ex Apollonio.' *Zelyn C_1 Mas Pi $Carr_1$.

VII 229 rediitque codd Ald, Pius: 'Scribe qua redit itque dies'. *redit itque C m T Pi Mas sqq. Carr.

II 477 idae codd, Pius: 'prisci codices habent idaea.' *idaea C m_2 Pi sqq. Carr.

I 190 iuvencum codd Ac, Pius: 'quidam codices habent iuvencam.' *iuvencam C B Ald Turneb $Carr_2$.

V 464 patris V Ac, pares Ald, Pius: 'Scribe patres, h. e. senatores.' *patres C T_1 Pi Eng sqq. Carr.

VI 124 Argus codd Ac, Pius: 'scribe Arcus, dicit arcus refutare sagittarium senem, quando est inhabilis illum expedire.' *arcus C T_1 Pi sqq. Carr. De hoc loco cfs. infra p. 56 sq.

V 125 Messageton V, Pius: 'Scribe Massageten'. *Massageten C Pi sqq. praeter Ald, Carr.

Quid autem ex hoc consensu concluditur? Eratne γ ex editione Pii emendatus? Quod si putamus, C ex γ post annum 1519 descriptum esse necesse est. Estne autem credibile Carrionem in aestimanda codicis aetate tantopere erravisse, ut eum, qui nondum quinquagesimum annum ageret, ante sescentos annos scriptum esse putaret? Et quamquam codicem Darmstadiensem nunc Coloniensem Censorini saeculi septimi Caroli Magni temporibus scriptum esse arbitratus est, unde Thilo (praef. p. LXXX ann.) concludi dicit eum aut artem diplomaticam quam dicunt parum calluisse aut in talibus iudiciis faciundis cautum timidumque fuisse, tamen aliud esse

credo codici, qui ante nongentos annos scriptus est, 780 fere annos tribuere, aliud in aestimanda codicis aetate, qui ante quinquaginta fere annos scriptus est, 550 annis errare! etsi interdum scribas vetustiorum codicum scripturas imitatos esse constat.[1])

Jam fieri potuit, ut C ex editione Pii corrigeretur et Carrio has correcturas textus lectiones esse simularet, aut ut ipse has lectiones ex editione Pii sumeret et in C inesse mentiretur. Utrum autem verisimilius sit, num diiudicari possit, videamus.

Carrionis enim fidem non iniuria iam ab aequalibus in dubium vocatam esse ostendit Hertz in ed. Gellii II praef. p. XCIX, qui in annotatione nonnulla collegit, e quibus haud semper probum illum fuisse apparet. Quin etiam crimini ei dedit Scaliger, quod ex exemplari aliquo Gellii quaternionem furatus esset, ut coniecturam aliquam suam faceret. Et in dissertatione, quam scripsit de M. Manilii emendandi ratione (Leipz. Stud. I, 1878, p. 6) Bechert demonstravit Carrionem, qui ipse fatetur se codice Gemblacensi (Bruxellensi 10012) usum esse, in suis commentariis antiquarum lectionum haud paucas lectiones huius codicis non sine magniloquentia ut suas protulisse (cfs. exempla a Becherto l. l. allata). Denique Hertz l. l. p. CXX ostendit Carrionem in Gellii lib XX 9, 3 duos versus, quos lemma exigere videbatur, ipsum fabricatum esse. Quamquam nescimus, num Carrio de his versibus rationem reddere voluerit in notis, quas una edi voluit, sed quae typis non impressae sunt nisi usque ad lib. I 25, 8 (cfs. Hertzium l. l. p. CXVII.).

Talis autem fraudis vestigia etiam in Carrionis annotationibus ad Valerium fortasse insunt (cfs. etiam Schenklium pp. 320/21.). Saepe enim, quae in scholiis de codicis sui scripturis dicit, discrepant ab iis, quae in castigationibus leguntur

---

[1]) cfs. Thilonem p. LXVI, Schenklium pp. 311 et 317. De litteris sui codicis uno tantum loco Carrio accuratius verba facit, cfs. cast. ad v. I 338: 'in veteri codice meo forma huius litterae (T) simillima est litterae F', unde nihil sequitur nisi 'Tolum' et fortasse omnia nomina propria in C a maiore littera incepisse. Neque magis ex cast. ad v. III 11: 'in vet. cod. facilis est error ex affinitate d et cl' concluditur C esse minusculis litteris scriptum, quoniam Carrio non apertis verbis dicit in suo codice d et cl imilia fuisse. Ceteris autem locis III 462, V 151, VI 66 omnino nihil efficitur.

atque ita, ut utraque lectio cum aliis editionibus congruat.[1]) Videas exempla nonnulla:

IV 272 arte codd Ac C_1 $Carr_1$, astu RT_1 C_2 Bon I II Ven I II $Carr_2$. V 641 luctus codd Ac C_1 $Carr_1$, lucus C_2 Pius $Carr_2$. VI 113 aulas codd Ac C_1, auras Bu C_2 Pi Carr. VI 573 fugit V T m B C_1 Bon I II Ven I II, fugat T C_2 Pi sqq. VII 295 obruit codd Ac C_2 Carr, obstruit C_1 Sabell Mas. Hanc lectionem 'obstruit' etiam Pius in commentario commemorat. II 157 saevire VC_2 Carr, servire T C_1 Bon I II Ven I II. I 152 nunc V C_2 Carr, num C_1 Sab Parrh Mas Pi. III 152 Zelen codd C_2 $Carr_2$, Zelyn Mas Pi C_1 $Carr_1$. I 157 diduxere V P C_2 Carr, deduxere m_2 Ox T_2 C_1 Ac. VII 57 aut V m T C_1 Bon I II Ven I II, haut V_1 Ac, haud C_2 Carr. I 147 acclinisque codd edd C_2 $Carr_2$, acclivisque B N T C_1 Bon I Junt I II Mas Eng Col Gryph $Carr_1$.

Huc accedunt nonnulli loci, ubi aut scriptura C_1 aut C_2 ante Carrionem non invenitur: I 227 . . . . minsas V M, ... minyas m, vates Minyas $RNBT_1$ C_1 Ac $Carr_1$, longa Minyas C_2 $Carr_2$. IV 580 excidit V edd, exciit C_1 Pi Eng Col Gryph Carr, exiit C_2. V 57/58 dividat – contegat V C_1, dividet—conteget C_2 Carr. VII 7 malo V C_2 $Carr_1$, modo C_1 $Carr_2$. VII 21 tumque experta cubile V, tumque exspectata cubili C_1 Carr, nimiumque experta cubile T C_2 Ac. VII 183 impediat codd edd C_1 $Carr_1$, ne impediat C_2 $Carr_2$. VII 486 abibo codd Ac C_2, obibo C_1 Carr. Quibus locis adde II 283 et III 9 (cfs. supra p. 14).

Saepius etiam in scholiis editor lectiones ex C affert, quae in nonnullis editionibus prioribus leguntur, cum in castigatianibus desiderentur:

II 587 *nomine codd Carr, numine C_1 Gryph. III 433 *vocat codd Carr, novat C_1 Pi Eng Col Gryph. V 559 *tota codd $Carr_2$, tuta B T m C_1 Ac $Carr_1$. VII 186 *erigit codd Ac, egerit C_1 Carr, nonn. ap. Pium. — V 370 habet codd, *hebet C_1 Sab Mas Pi Eng Col Gryph. V 410 . . . tecta V, *per tecta T_1 C_1 Bon II Ven I II Mas. V 648 possint codd, poscant C_1 Ald Carr. VII 490 tunc codd Ac, *tune C_1 Mas Carr.

[2]) Quas editiones Carrio inspexerit, paulo infra exponam.

Ab altera parte in castigationibus Carrio lectiones codicis commemorat, quae in scholiis desiderantur:

I 285 discendere V M_1, descendere Ox P B T N C_2 Bon I II Eng Col Gryph $Carr_2$, *discedere m_2 Bon II sqq. $Carr_1$. I 678 *pascit codd, pascet C_2 Pi Eng Col Gryph Carr.[1]) II 411 ac V, *acu T C_2 Junt I sqq. Carr. I 735 aperti codd Ac $Carr_1$, *operti C_2 Turneb $Carr_2$. II 405 si portus codd Ac $Carr_1$, *sic portus C_2 Bon II Ven I II Pi Ald $Carr_2$. VI 730 meritas tum codd Pi, meritas tua T_1 C_2 Carr, omnia codd, *omina T C_2 Bu Junt I sqq. exceptis Eng Col Gryph, Carr.

Quorum locorum numerus facile aliis haud paucis augeri potest. Neque quisquam erit, quin, si has lectiones perlegerit, de Carrionis fide valde dubitaturus sit. Huc accedit, quod demonstrari potest, Carrionem editionem Pii adhibuisse, quamquam ipse apertis verbis hoc non dicit. Paucis enim tantum locis Pium nominat, et quae schol. ad v. IV 428 verbotenus e Pio affert, non congruunt cum verbis, quae l. l. in editione illa leguntur, sed potius in annotationibus anno 1505 editis cap. CXLVIII insunt.[2]) Permultis autem locis Carrio Bononiensem commemorat et huius editionis lectiones haud paucas affert, quae

---

[1]) poscet $Carr_1$ vitio operarum exortum est.

[2]) In fine harum annotatiomun, quarum exemplar asservatur Lipsiae in bibl. Universitatis, legitur: 'excussum typis aereis apud Joānem Antoniū Platonicum de Benedictis civem bononiensem Anno Domini MDIIIII die X Januarii.' Sunt autem hae annotationes posteriores quae dicuntur, priores inveni una cum aliorum virorum scriptis in volumine Brixiae Saturnalibus anni 1496 impresso (exemplar exstat Dresdae in bibl. Reg.). Idem volumen paucis scriptis Ant. Sabellici et B. Egnatii auctum iterum impressum est apud Jacobum Pentium de Leuco die XVI Decembris anni 1502 (Lipsiae in bibl. Univ.) et tertium videtur impressum esse Parrhisiis apud Jo. Parvum et Jod. Badium Ascensium Id. Aug. anni 1511, auctum cum aliis scr'ptis tum annotationibus posterioribus Pii anni 1595 primum editis (cfs. Panzerum, Annal. typogr. VII p. 552 n. 444.), id quod confirmari videtur verbis Fabricii in bibl. Lat. med. et inf. aetatis, Hamb. 1754, V p. 302.

Quod Giarratano praef. p. XI commemorat 'Bon III anni 1504 cum J. B. Pii adnot.', eum erravisse suspicor, cum neque Bononiensis neque Pii annotationes huius anni notae sint; nam quae Langen ad v. III 555 ex Bon III affert, inveniuntur in Pii editione Bononiensi anni 1519.

neque in Bon I anni 1474 neque in Bon II anni 1498 leguntur, sed in Pii editione anno 1519 Bononiae impressa, veluti II 138 viro Bon teste Carrione, viros Bon I II, viro Pius. III 178 'Attonitus cervice. Ita Lugd. Bas. et Bononiens.' Carr, cervice Pius, Crenee Bon I, Crenaee Bon II aliisque locis. Contra conferas VI 716 'Nigraque evulsam extendit. Ita Lugd. et Argent. Bonon. vero, magnaque evulsam extendit' Carr, nigraque Pius, magnaque RT Bon I II Ven I II. Sequi videtur Carrionem nonnullis locis Bononiensem dicere Pii editionem. Neque omnino credibile est eum hanc editionem magnae auctoritatis neglexisse.

Quae cum ita sint, nemo sane verisimillimum esse negabit Carrionem lectiones ex Pii editione furatum in suo codice inesse simulasse. Quod attinet ad vetustatem codicis, nihil diiudico, quamquam hac quoque in re eum mentitum esse suspicio est.

Praeter hanc autem editionem etiam alias se adhibuisse Carrio dicit ad v. I 41: 'Lugdunensis (apud Seb. Gryphium annis 1545 et 1548), Parisiensis ['Par. vetustior, Par. recentior' cast][1]),

[1]) Quae hae sint editiones, non satis liquet. Parisiis enim in lucem prodierunt teste Giarratanone (p. XI) anno 1500 editio Gervasii Amoeni et annis 1511 et 1512 editiones Ascensianae. Wagner autem ed. p. 18 de editione anni 1511 dubitat cumque Pii annotationibus hoc anno editis eam confusam esse censet (cfs. supra p. 24, ann. 2). Et Schweiger (Handbuch der klass. Bibliogr. II 2 p. 1098) editionem Gerv. Amoeni anni 1500 omnino non exstare suo iure affirmat, esse eam potius editionem anni 1512 impressam Parisiis communibus Jodoci Badii Ascensii et Joh. Parvi expensis curante Gerv. Amoeno. Error autem exortus esse videtur ex subscriptione huius editionis, ubi legitur:

'Impressum in Parrhisiorum lutecia cõmu-
nibus Jodoci Badii Ascensii & Johannis
Parvi expensis in prelo Caesareo
Anno domini MCCCCC
duodecimo Nonis
Januariis.'

Jam habemus Valerium Parisiis editum a Colinaeo anno 1532 et a Maserio annis 1517 et 1519. Doleo autem mihi non licuisse utramque Maserii editionem inspicere; adhibui posteriorem tantum editionem. Tamen complura me movent, ut suspicer has editiones Carrionem 'Parisienses' dicere. Annotavit enim ad v. VI 112: 'Noesus vet. Par.', ubi in Maserii ed. altera inveni 'Mesus', ad quod Maser in annotatione: 'inspiciant viri docti an ad rem nihil faciat Nesus'. 'Nesus' autem in Colinaea non legitur neque ante Maserium ex-

Venetus (quae non videtur esse Aldina anni 1523, sed editiones Venetae ap. Christoph. de Pensis de Mandello annorum 1500 et 1501, cfs. I 100 et VI 443), M. Fontii (quae haec sit ignoro, erravit fortasse cum dicere vellet Florentinam anni 1517 apud Phil. Juntam, cui praefuit *Bartholomaeus* Fontius), Argentoratensis (anni 1525 ap. Phil. Engentinum), iis enim impressis in hoc castigando usus sum'. Praeter has editiones laudat Carrio ad v. III 270 Florentinam, quae fortasse est tertia anni 1517, ad v. III 105 Basiliensem, quam plane ignoro, ad vv. 195/96 aliisque multis locis Aldinam. Praeterea autem haud paucos viros doctos commemorat, qui Valerii textui emendando operam dederint, velut B. Egnatium, Pomponium Laetum, Politianum, Janum Parrhasium, Volscum, Scoppam, Herculem Strozzam, Codrum Urceum, Alciatum, Hermolaum Barbarum, Ninivitam, Quintianum Stoam, imprimis autem Sabellicum, Maserium, quem in castigationibus semper fere interpretem appellat, Turnebum.

Quoniam constat tot editionibus et annotationibus vv. doctorum Carrionem usum esse, suspicio oritur eum ex aliis quoque editionibus lectiones hausisse suoque codici tribuisse. Apparet autem difficillimum esse dictu, ex qua editione singulae lectiones sumptae sint, quoniam pleraeque in compluribus editionibus leguntur. Tamen de Aldina et Maserii editione certiora huius rei argumenta in promptu esse puto.

Ac primum quidem cum Aldina C hisce locis atque eis falsis congruit:

VI 291 eam V m, etiam T Ah, viam Ald C, quod recte refellit Baehrens praef. p. XLVIII scribens 'eadem'. VI 113 in aulas codd Ac, *in auras Bu Pi, ad auras C_2 Carr, ad aulas Ald C_1. VI 583 *sisteret codd edd, sterneret C Ald. V 437 *ipsa codd

---

stitisse, sed eius ipsius coniectura esse videtur. Et ad v. VI 377 Carrio annotat: 'utrumque Paris. Inque labentis equi tendentem frena Nehippen' ('Nesippen' castig. operarum vitium esse opinor), de quo loco cfs. Maserium: 'pro Enhippen legatur Nehippen'. Huc accedit, quod nusquam Carrio nisi l. l. (I 14) Parisiensis recentioris mentionem fecit, cum saepius legatur 'vet. Par. et Interpres' h. e. Maser. Unus tantum locus obstat VIII 107, ubi in scholiis dicit editor 'at utrumque Paris. cum Maserio' — in castigationibus autem solum legitur 'at utrumque Parisiense'.

edd, ipse C_1 Ald Carr. Huc accedunt permulti loci, ubi praeter C et Aldinam aliae editiones easdem lectiones praebent, quorum duos tantum hic commemoro: IV 698 phoebi codd Bon I Sab, Rhebi C Junt Ald, *Rhebae Bon II sqq., cfs. Ap. Rh. II 349. 652. VII 244 arida menti codd, ardua menti Junt Ald, ardua amanti C Carr, *'arida membra' ex Thilonis coniectura, qui 'menti' ex antecedentis versus fine 'mentis' irrepsisse vidit. Quam coniecturam haud iniuria Koestlin Philol. p. 739 comprobare studet verbis ex Ap. Rh. allatis (III 676): *ἦ νύ σε θευμορίη περιδέδρομεν ἄψεα νοῦσος.*

In veris autem lectionibus C cum Aldina congruit: I 303 legitur post 308 in omnibus codicibus et editionibus, suo loco in C Ald sqq. Eodem modo v. III 10 in codicibus et editionibus priscis transpositus est post v. 25, post v. 9 legitur una in Aldina et C. Reminiscaris autem, me supra p. 14 dixisse illum, qui supplementum versus noni dedisset, versum decimum suo loco restitutum nondum invenisse. Quod verisimile est Carrionem ipsum Aldinam secutum fecisse. I 330 paucos codd Ac, *raucos C Ald Carr.[1] I 337 siñ aût VT, sin aût MT, sin autem Ox, Nisantem BT_1 Ac, *minantem C m_2 in marg. Ald Carr. I 146 auctora α, *Actora C Ald $Carr_2$. V 584 choaspe V, choaspē m, *Choaspen C Ald Carr. VI 582 quod fuderat V m T Ac, *quot funderet C Ald Carr. Monendum hic est in versu sequenti in C et Ald falso legi 'sterneret' (cfs p. 26). IV 638 notat codd Ac, *necat C Ald Carr. V 95 omnia codd Ac, *omina C m Ald Carr. VII 629 clamore VNB m Ac, *clamorque C_1 Ald Carr. V 648 possint codd, *poscant C Ald Carr.[2] Quibus locis adde: I 827 adcisa codd Ac, abscissa C_2 Ald Turneb $Carr_2$, *abscisa. VI 663 intulit codd Ac, *impulit C Ald Sab Carr.

Jam hic in censum venit editio Maserii, quacum gravioribus

[1]) 'Raucos' etiam in Par Q inest, Aldinae autem editorem hanc lectionem non ex Par sumpsisse inde concludas, quod in versu sequenti, quamquam locum esse corruptum non ignorabat eumque emendare studebat, non optimam lectionem Parisini recepit 'pontumque polumque', quam si nosset, eum reiecturum fuisse non verisimile est, sed ipse coniecit 'pontum boreamque.'

[2]) Carrio in scholiis: 'nec talia poscant. sic liber manuscriptus. vet. cod. nec talia possint'. Codicem suum Carrio aliis locis 'lib. manuscr.', aliis 'vet. cod.' nominat. Error autem, qui h. l. exstat, suspicioni esse potest, si respicimus 'poscant' sola in Aldina legi.

locis C congruere videas: II 253 *miserere tene codd edd, miser ecce tene Bon II Ven I II Sab Pi, miserae retine C Maser Carr. III 34 *veloque procnesson codd, veloque Proneson Ac, ubi Maser in comm: 'eadem videtur esse quae Proconesos dicitur a Plinio in V' (44, 151). velo Proconesson C_1 Carr, quod quin falsum sit, dubitandum non est. Neque enim 'que' deesse potest, cum non tria membra inter se coniungantur, sed alterum et tertium arte inter se cohaerentia primum sequantur: 'religant tonsas // veloque Procneson / teque etiam medio flaventem Rhundace ponto spumosumque legunt'. III 36 *scylac(a)eon ab unda codd edd, Maser: 'et dicebatur Scyllecium, nunc vero Scyllaceion aut Scyllaceum ..... apud Graecos geminato lambda scriptum legitur.' Scyllaceon unda C $Carr_2$. De hoc loco cfs. Langeni annotationem, qui suo iure contulit eleg. in Maec. v 197 (Baehrens, poet. lat. min. I p. 132) ab Heinsio emendatum:

'Argo saxa pavens postquam Scylaceia legit.'

Nusquam autem Σκυλάκη lambda bis posito invenitur, cfs. Plin V 32, 142. Herod. I 57. Mela I 19, 2. Steph. Byz. p 579 (Meineke). IV 104 *rabidi codd edd, rapidi P C_1 Mas Carr. V 55 *labentibus codd edd, Maser: 'labentibus, languentibus et deficientibus, nisi quis lambentibus legat'. Lambentibus C $Carr_2$. IV 374 Messonidaes V m, Messenides CT_1 Carr, Maser 'qui Messenides legunt, ortum ducunt a Messenia regione Laconica'. *Messeides Bon II sqq. VI 65 achaemoniae V, Achimeniae C Maser, *Achaemeniae Junt I sqq. VI 115 *Vanus codd edd, Maser: 'fortasse Varuus a Varua urbe Mediae'. Varus C Carr. I 117 *nunc codd $Carr_1$, hunc C $Carr_2$, Maser: 'legunt alii hunc, ut referatur ad Herculem'. De hoc loco cfs. Samuelssonem Eran. VI p. 85 sq. VII 176 *opus et codd edd $Carr_1$, Maser: 'Sed me ipsa. Opus est me, inquit Venus'. opus est C $Carr_2$. Et in veris lectionibus consensus exstat: VII 490 tunc codd Ac, tun' Maser, *tune C Carr. VII 554 palchen codd, palchem T Ac, *Phalcen C Maser Carr. VII 513 totiens ducis V, toties dulcis Maser, toties dulceis Ald, *totiens dulces C Carr. Huc accedunt iterum haud pauci loci, ubi eaedem lectiones atque in C et Maserii editione etiam in aliis editionibus insunt, quare eos nunc praetereo.

Restat autem, ut pauca de Sabellici observationibus anni 1502 dicam, e quibus Carrionem hausisse probabile fit duobus locis: II 291 enim Carrio uno cum Sabellico exhibet 'puppe', cum in codd et edd legatur *'pube'. Et in versu sequenti pro 'reddere' codd Ac in Bon II Ven Sab Carr legitur 'credere'.[1]) Num autem Sabellici lectiones suo codici tribuerit Carrio, suspicari tantum licet, quia graviora argumenta non in promptu sunt. Legitur enim VI 433 *seris codd edd, seṽris m, Sab: 'et illud vide [an sit verior lectio] saevis querelis quam seris.' saevis C Carr. Quod tamen non ex Sab haustum sit necesse est, sed scriba etiam 'saevas' versus 432 et 'seris' v. 433 inter se confundere potuit. Ceterum cfs. de hoc loco Thilonem p. LXXIII. V 438 torto codd Ac, *toto C Sab Carr. Minus autem valent hi loci: V 270 *serentem codd edd, ferentem C Carr Sab Mas in com. VII 295 *obruit codd edd C_2 Carr, obstruit C_1 Sab Mas. IV 742 adea mira V m, eadem mira Bon II Ven I II, *eadem ira C Sab Mas in com, Carr.

Quod attinet ad ceteras lectiones, quas C una cum aliis editionibus praebet, certi quidquam ut iam dixi statui non potest. Quare liceat hos locos singulos enumerare, ac primum quidem eos, qui falsum praebent:[2])

I 152 *nunc codd edd C_2 Carr, num C_1 Sab Parrh Mas Pi. I 285 discendere VM_1, descendere C Ox PBNT Bon I Eng Col Gryph, *discedere m_2 Bon II sqq. I 535 hic mihi codd, haec mihi T N Cok C Bon I II, Maser: 'aut legatur haec.' (hac C_2 operarum vitium est), *hinc Balb.[3]) I 767 *per lacrimas codd, perlacrimans C_2, perlachrymans Bon II Ven I II. II *11 myrin VU, amirum Bon II Ven I II, Amyrum Pi Ald, Amyrin

---

[1]) Carrio in schol. et cast: 'Ita hic legi debet, non te reddere, ut vulg. editio habet.'

[2]) Monendum est me hic eas quoque lectiones enumerare, quas praeter C et editiones priores etiam nonnulli codices deteriores praebent, quoniam supra demonstravi notum esse, quibus editionibus Carrio usus sit, cum de codicibus in C corrigendo fortasse adhibitis, ut infra videbimus, nihil certi dici possit.

[3]) 'ut hinc' C est glossema aut coniectura ex 'cur' codd, recte legunt editores 'cum'.

C_1, *Amyron Maser sqq. Carr. II 157 *dahis codd edd, dabis CPT Bon I II Ven I II Junt I II Mas Carr. *saevire codd edd C_2, servire Bon I II Ven I II C_1. II 159 *virgata codd edd Carr, ingrata CBT Bon I. II 271 ut pater nivea codd, utque pater nivea P m T Ott Ac, ut pater et nivea C Carr Bon II Ven I II sqq. Recte autem Langen monuit, non cornua mitrā tumere, sed mitram cornibus, qua de causa suo iure Baehrentis coniecturam recepit: 'ut pater in nivea.' II 369 qui codd, quem C Bon I II Ven I II Maser Carr, quod omnes ante Thilonem editores receperunt. Non autem est, cur hoc fiat, cum VS bonam lectionem 'qui' praebeant, cfs. Ellisium journal of philol. IX 59. II 464 ad primos surgentia flumina flectus V, fletus S. Pro 'flumina' 'lumina' esse scribendum apparet, dubium autem est, utrum melius 'fletus' legatur an 'fluctus' cum T m_2 C_2 Ac Pio excepto. Primos fluctus autem superficiem maris poetam dicere non credo, scripsisset potius 'summos'. Nec primi motus maris recte intelleguntur, quia mare tunc est quietum et paulo post demum a belua perturbatur, cfs. vv. 497 sqq. Huc accedit, quod flectus V et fletus S propius accedant ad 'fletus' quam ad 'fluctus'. In V autem saepius aliquam litteram in voces irrepsisse Giarratano pp. XXI/XXII docet. Quomodo autem totus locus intellegendus sit, difficile est dictu. In versibus qui sequuntur (465—67) Hesione comparatur cum statua et pictura: utraque, et Hesione et statua aut pictura, quamvis exanima sit, tamen aliquo modo indicat, quid sentiat: exanimum ebur tamen[1] maeret. Exanimae autem similis Hesione esse non potest, nisi nullo corporis motu se vivere indicat. Qua re haud scio an in 'surgentia' haerendum sit, quo verbo actio, non status significatur, quamquam similem huius vocis vim habes Verg. Aen. X 476

> 'illa [hasta] volans, umeri surgunt qua tegmina summa, incidit'.

Locus igitur valde dubius est, et proposuerim 'a primo surgentia (turgentia?) fletu.'

II 587 *sine nomine codd edd, sine numine C_1 Gryph. III

[1]) Baehrens praef. p. 30 quo 'tamen' pertineret non intellexit.

5 *dant codd edd, dat C Carr Junt I sqq. III 48 ad oris codd, ad ortus C, quod quia contrarium sensum praebet, falsum esse iam pridem vv. docti viderunt. III 555 pueris perfusa α, pueri spes lusa V_2 ut videtur, pueri spes fusa C Balb Carr. 'Spem fundere' autem nusquam inveni neque 'spem effundere' (cfs. Sen. de ira II 35 curam sui effundent, Cic. ad fam. I 9 odium effundere al.), quare praefero Pii 'spes lusa'. IV 242 tuneo sociis V, tunc o codd, tune e sociis C Ac Carr, *tune o sociis Giarratano recte recepit, neque enim e sociis Amyco iniquis Pollux electus est, sed a sociis, quos iniquos esse Polluci Amycus dicit, id quod poetico more dativo Valerius expressit. IV 272 *arte codd edd C_2 $Carr_2$, astu C_1 RT_1 Bon II Ven I II Sab Mas in comm. Carr. IV 300 *effecta codd, effeta C m_2 TR Parrh Pi Ald Carr. IV 307 *omni codd Carr, omnis CT Junt I II Mas Pi Ald Eng Col Gryph. IV 595 *alter codd, ater C Parrh Carr; neque enim Acheron ipse ibi fluit, sed alter quasi Acheron. IV 601 *Thermodon codd, Thermodoon C m_2 T Junt I II Pi Ald sqq. Carr. Non legendum esse 'proxima Thermŏdŏōn' docemur Ovid. ep. ex Ponto IV 10, 51: 'et tu femineae Thermōdon cognite turmae'. IV 675 vel fallit codd Ac, vel fallor C Bon II Ven I II Sab Mas in com. Pi in com, vel fallar Pi Eng Col Gryph Carr. Recte mea quidem sententia iam Schenkl p. 348 vidit 'vel' quoque corruptum esse. Aesonidae enim sicut sociis dea visa animum redire describitur — quomodo igitur statim de eventu dubitare potest: 'vel fallor'? Qua de causa Schenklium sequor scribentem 'nil fallis'. Nam v (u) et n persaepe in V confunduntur, et a 'fall*is*' scriba facile aberrare potuit in '*ait*'. Neque in asyndeto 'sequor — nil fallis' est haerendum, quod potius tenori loci plane accommodatum est.

V 84 pharentes V m, ferentes CR Bu T_1 Ac, *patentes Thilo sqq. V 364 sedere codd Ac, dedere C Balb Carr, *edere Heins sqq. V 559 *tota codd $Carr_2$, tuta C_1 BT m Ac $Carr_1$. V 596 *Jaxarten codd edd, Laxarten T Ac praeter Pi et Mas, Laxartem m, Laxasten C. V 608 *habenae codd Pi Mas, (h)arenae C_1 Carr edd ante Eng. VI 189 *aeaeum codd, Aet(h)aeum C Gryph. VI 247 linguntur V m, liquuntur CB T_1 Junt I sqq. Carr. *tinguuntur

Wagner. Ad hunc locum cfs. Thilonem p. XVIII: 'liquuntur posui ... quamquam non ignorabam Valerium sic scribere non potuisse, nisi verbi illius significatione, quae est liquefacere, ita mutata, ut esset rigare vel imbuere' — cuius mutationis nullum invenitur exemplum. Liqui enim est liquidum fieri, tabescere, non madidum fieri, neque Langeni exemplo quicquam efficitur Sil. XIII 487: 'cadavera ... putri liquentia tabo', nam tabescunt. Conferas etiam Lucan. IX 772

'femorum quoque musculus omnis
liquitur et nigra distillant inquina tabe'.

Valeriano autem loco sanguis ex oculo vulnerato per malas manat, eas tinguit.

VI 559 *lecta codd, leta T, laeta C Ac praeter Pium, Carr.[1]) VII 127 semels V, sese simul T Ac, sese semel C m Bon II Carr, quod quomodo intellegatur sc. Medeam se semel increpare equidem ignoro. Exspectamus potius 'se ipsam', qua de causa Lemairium sequor scribentem 'semet sic increpat ira.' Buryi autem 'se non semel' nimis a tradita scriptura recedit, quam ut recipiatur. VII 165 quis illa sacro codd Bon I, quis illa sacris Bon II Ven I II, queis illa sacris C, *quin illa sacro Junt I sqq. Carr. VII 345 poteratque m (V deest) NT Bu Bon I Junt I II, poteras Pi Ald, poterasque CT_2 Mas Carr, *pater atque Bon II sqq. VII 357 *ponti m (V deest) edd, ponit CBNTH Bon I II Ven I II Mas. VII 501 si meritis noctis immemor V, si meriti sim noctis et immemor C Carr, 'sim' iam in omnibus editionibus ante Carrionem inest. *si meriti si noctis sim immemor Langen optime coniecit. VII 635 atto V, ex(s)timulat CB Ac, cum Carrio ipse primus veram lectionem coniecisse videatur: *attonitos Carr sqq. Huc accedunt duo versus VII 579—580

'ut tandem stetit et torvo (torto C) se lumine flexit

---

[1]) VI 556 Thilo recepit in textum 'cassa frendens', quod in V inesse putabat. Videtur autem Pii coniectura esse, cum in V legatur teste Samuelssone (Eranos VI p. 98) 'cassa ridens', quod idem in C inest. Qua de causa praefero cum Heinsio 'stridens', quod de hominibus saepe dicitur, cfs. Ov. Ars am. III 229.

qui prior adversi respexit Jasonis arma'
C m TN Ac Carr, qui in V desunt. Eos autem nequaquam esse genuinos suo iure iam Thilo p. LIII ostendit.

In veris autem lectionibus consensus exstat his:

I 93 et carum codd Ac, *ad carum C Bon II Ven I II Ald Carr. I 100 habet codd, *avet C Bon II sqq. praeter Junt I II et Ald, Carr. I 227 minsas ambige *α*, *Minyas ambage C m RNT$_1$ Ac Carr. I 308 mitte manus *α* Ac, mitte metus C Parrh Carr. I 735 aperti *α* Ac, *operti C$_2$ H Turneb Carr$_2$. II 368 arcent codd, *arcet C Ac Carr. II 376 disertisque V, *desertasque C Ac Carr. II 405 si portus codd Carr$_1$, *sic portus C$_2$ Bon II Ven I II Pi Ald Carr$_2$. II 411 praesit a V, presit a S, *pressit acu C$_2$ T$_1$ Junt I sqq. Carr, pinxit acu BT Bon I II Ven I II Mas. Quin lectio codicis C genuina sit non dubito, praecipue si respicis syllabam bis exstantem 'a*cu* *cu*rrusque'. In simplici verbo 'pressit' pro 'expressit' non est haerendum, neque in perfecto pro plusquamperfecto posito, cfs. Samuelssonis Studia in Val. Fl. diss. Upsalae 1899, p. 9. II 467 aliquidi V m, aliquid S, aliqui BT Junt I II Bon I Mas Eng Col Gryph, *liquidi C Bon II sqq. Carr. III 10 prima *α* Bon I, *primas C m T Bon II sqq. Carr. III 146 ocius m (V deest), potius Ac, *socios CPTH Parrh Carr. III 158 Protinus m Ox M$_2$ TB Ac (V deest), Prothin et C H Parrh Carr. *Protin et. De hoc loco conferas Heerenum, de chorographia a Valerio Fl. adhibita, diss. Gott. 1899, p. 17, qui affirmat Protin esse hypocoristicon recte formatum nominis *Πρώτιππος* (C. J. A. II 1, 98 v. 4 *ΠΡΩΤΙΣ*) et confert II 307: Hypso pro Hypsipyla. III 178 consertes V, consertae S, conferte C$_1$, *confertae m Ald Eng Col Gryph Carr. III 330 geminam codd Ac, *gemino C m$_2$ Bon I II Ven I II Ald Balb Carr. III 455 nostri vel antea V S m, *nostrive luant ea C m$_2$ T$_1$ Ac exceptis Bon I II Ven I II Junt I II, Carr. III 515 indecore codd, indecorae Ac, *indecores C Bu H T Ald Parrh Carr. III 520 ditem quomodo verbo V, *ditemque movebo C m$_2$ M Parrh Carr. III 609 compensatra lete V, compensa tralete S, *comprensa trahentem m Ac Carr, compressa (!) trahentem C. III 610 dura *α*, dirae T Ac Carr$_1$, *durae C m Pi Ald Carr$_2$. III 732 flumina *α*,

*flamina CT Ac Carr. IV 214 caestu α Ac, *caestus CT Bon II Ven I II Balb Carr. IV 275 integet V m, incitat STB Ac Carr, *integer C T_1 Pi Eng Col Gryph. IV 510 rabido VT Ac, *rapido C Bon II Ven I II Carr. IV 524 similes V, *similis C m Ac Carr. V 56 extermis V, *externis CT Ac $Carr_2$ Pio excepto. V 147 indigena et aerupem V m, *inde Genetaei rupem Politianus Bon II sqq., inde Genetaei rupes C Carr. V 200 perteveara V, praetervehar m_2 Bu Ac, *per te vehar C Carr. V 370 habet codd Ac, *hebet C_1 Sab Mas Pi Eng Col Gryph Carr. V 410 tecta V m, in tecta TB Bu m_2 Ac, *per tecta C_1 T_1 Bon II Ven I II Carr. V 460 sed bellator ostum V, sed bella torum tum Pi Ald Eng Col Gryph. *sed bella toros tum C Carr. V 518 harenis V edd ante Eng, *habenis C Bu Pi Balb Eng sqq. Carr. V 520 ignoscit V Bon I Junt I II Ald, *ignescit C Bon II Ven I II Mas Pi sqq. Carr. V 605 magnus V, *manus C Ac Carr. V 680 accipere V, exitus Bon II Ven I II Mas, *accipite CB m Ac Carr. VI 166 conceptus codd edd ante Eng, *concentus C Bon II Ven I II Pi Eng sqq. Carr. VI 225 nili codd Ac, villi Bon II Ven II Pi, *lini CH Mas Balb Carr. VI 247 tenero V m T_1 Bon I II Ven I II, *tenerae C Junt I sqq. Carr. VI 265 forsitan iuncxit V m, *fors ita iunxit C T_2 Bon II Ven I II Carr. VI 655 acervat codd Bon I Junt I II Ald, *acerbat C T_1 Bon II sqq. VI 666 miserae ... V, curvae sensere Ac, *miserae sensere C m_2 Carr.[1]) VI 730 omnia codd Eng Col Gryph, *omina C_2 T Bu Junt I sqq. Carr. VI 748 paulum levi codd Ac, paullumque levi C Bon II Ven II Carr, *paulumque levi. VII 156 habet V m BT Bon I Junt I II Ald, *hebet C_1 T_1 Bon II sqq. Carr. VII 319 ac nequeat V codd, *ac neque tam C Bon II sqq. Carr. VII 373 blandique pavens vocem venus qua.os— V, *vocemque Venus blandisque paventem C Balb Carr. VII 394 sublatas V, *sub altas C m Ac Carr. VII 421 pendere V, me expendere Ac, *me pendere C Carr. VII 478 quantum codd Ac, *quando C Bon II Carr, cfs. Ap. Rh. III 1069: *μνώεο δ', ἦν ἄρα δὴ ποθ' ὑπότροπος οἴκαδ' ἵκηαι, οὔνομα Μηδείης.* VII 546 au!a codd Ac, *ausa Bon II Carr. VII

[1]) censere carinae C_1 operarum vitio legitur.

557 ducentum V, *ducem tum C m Bu T Ac Carr. VII 612 quatit codd Ac, *quati CT Bon II Ven I II Carr. VIII 39 nonnulla V Ac, *non ulla C m N Mas Eng sqq.

Initio huius capitis cuiquam adhuc contigisse negavi, ut demonstraret illis temporibus, quibus editiones priscae factae sunt, alios codices veteres propriae memoriae exstitisse. Et si hos locos quos enumeravi perlegeris, concedes mihi ne unum quidem esse, cui meliorem fontem esse quam V statuere cogamur. Ceterum non affirmo omnes has lectiones Carrionem ex aliis editionibus furatum suo codici inseruisse. Longe enim plurimi loci eiusmodi sunt, ut facillime duo scribae vel correctores in eundem errorem incidere aut eandem medelam afferre potuerint, ita ut hae lectiones re vera in C aut iam in γ inessent. Alias autem lectiones, quae simul in codicibus deterioribus insunt, ex his correctores sumere potuerunt. Huc spectant imprimis ei loci, ubi C solus cum codicibus deterioribus quod sciam congruit, quos in sequenti capite tractabo.

IV.

His in lectionibus idem monendum est ac supra, scilicet in plerisque consensum casu fieri potuisse. Tamen nonnullae occurrunt, quas multo verisimilius est ex uno codice in alterum irrepsisse. Quamquam qui codices adhibiti sint diiudicari iam non potest, id quod ex uno exemplo cognoscas. Accuratius enim mihi instituenda est illa quaestio, quam supra p. 11 iam tetigi, sc. quae ratio intercedat inter C et m. Quam questionem nunc demum instituo, quia antea colligendi erant ei loci, in quibus C cum editionibus prioribus consentit, quos si una cum m congruunt, hic minus valere apparet.

Falsas autem lectiones praebent C et m his locis:

I 256 ostenderet V, ostendebat C m, *ostentabat. III 209 *acer α Ac, ater C_1 m. III 367 neque magis V Ox, neque magnis C m_2, *nec quae magis. III 595 *procurrit α Ac, percumbit m, procumbit C. V 75 Callirhoan V m T, Callirhoen C m_2, *Callichoron. V 102 Cobilli V, Cobylli C m, *Crobiali Bon II sqq.

Praeter C et m alii codices easdem lectiones exhibent:

II 86 terra fuget V, *fugat S, fugae C m, fuge U (cfs. supra p. 10). II 318 pharii se .... ab antris V, phariis e .... ab antris MP Ott, phariis e patris ab antris m U, pharii se patris ab antris C. Quin autem hoc supplementum genuinum non sit, dubium non est inde quod supra (v. 317) dicta est Polyxo 'non patriam, non certa genus'. (Cfs. etiam infra p. 40).

III 11 *clite α, dite Pm, dites m_2, ditem C.[1] III 638 ... iurgia V, *fera iurgia S, in iurgia C m B T Bu. (Cfs. supra p. 9.) V 84 additamque V m Bu, addictamque m_2 RB, addictasque C, *addita iamque. V 385 *nos codd, non C m B Bu. IV 170 typhea verberat V m, typhoëa verberat C m_2 T_2, *Typhona reverberat. Miror quod Langen recepit 'Typhoëa verberat', cum semper inveniatur Ty̆phōeus, nusquam Tȳphōeus. Contra legitur Tȳphon, Ty̆phon autem non exstat nisi Mart. Cap. II 191 (Eyssenh.). Nec quod Giarratano nuper in textum recepit 'Typhœa reverberat' ullo exemplo probatur.[2] VII 119 aeeis V, aetaeis m, aeteis C.

Cum editionibus prioribus C et m congruunt:

I 157 erigit m, gerit m_1 ('ger' in rasura) C Pi (cfs. p. 19). IV 601 Thermodum m, Thermodoon C m_2 T Junt I II Pi Ald sqq. (Cfs. p. 31). IV 641 auditus m BT Ac, auditur C (cfs. p. 53.). V 596 Laxarten T Ac, Laxartem m, Laxasten C (cfs. p. 31).

---

[1]) Cfs. supra p. 11. Addam 'ditem' exortum esse ex 'dite'; non ex 'dites', quod nemo sane mutasset, cum antecederet 'quas dabat'. C igitur penderet ex m nondum a secunda manu correcto, cfs. etiam III 359/60 arcos α m, arces m_2 T Ac, agros C. III 367 sacerque V S m, *sacer atque m_2 T Ac, acerque C. IV 573 peranda V m, *properanda m_2 Ac, patranda C. V 410 tecta V m, in tecta m_2 TB Bu Ac, *per tecta C T_1 Bon II Ven I II Mas. Sed obstant alii multi loci, e quibus apparet C, si ex m penderet, ex eo descriptum esse manum correctoris iam passo: I 337 (cfs. p. 27), I 710 (cfs. p. 37), I 82 (cfs. p. 37), III 362 (cfs. p. 35), V 75 (cfs. p. 35), V 84 (cfs. p. 36), V 203 (cfs. p. 37), VI 433 (cfs. p. 37) al.

[2]) Cfs. Verg. Aen. IX 716 impostă Ty̆phœo et Sil. It. XIV 196 vicină Ty̆phœo. Eadem de causa scribendum esse IV 428 cum C_2 Carr 'Harpyiae Typhoides' nego. In V legitur 'yphoides arpyiae' misere corruptum et in textum recipiendum erit 'Harpyiae Typhonides' C_1 Balb sqq. Thilone Baehrente Buryo Giarratanone exceptis. Cfs. etiam Ov. Her. XV 11 ... 'diversă Ty̆phoidos Aetnae' et Claud. Rapt. Proserp. III 183 'rupitnĕ Ty̆phoia cervix Inarimen?' 'n' in V omissum esse versimile est, quia in priore aliquo codice, fortasse in α erat 'yphõides'.

VI 433 seris V, $\overset{v}{\text{seris}}$ m, saevis C, quod etiam Sabellicus in com. commemorat, cfs. supra p. 29. VII 127 sese semel C m Bon II (cfs. p. 32 sq.). Huc accedunt illi duo versus VII 579—80, cfs. p. 32/33.

Aliis autem locis C et m in genuinis lectionibus congruunt: I 82 aethere — imbre VU, imbrem V_2, *aethera — imbre C m_2, quam lectionem esse genuinam optime ostendit Samuelsson Er. VI p. 84. IV 30 pharetram V m, pharetras SBT Ac, *pharetrae C m_2. Conferas quod antecedit: ‘o dolor — o — pharetrae’. IV 308 ceciditque malis α, *ceditque malis C m. VI 115 aestas VBT Bu Ac, *aetas C m. VIII 45 nobis V m, *novis Cm_2.

Consensus autem codicum C et m cum aliis codicibus exstat his locis:

I 710 homo V m, *humo C_2 m_2 MP. III 436 glaucaque V m BT Ac, *glaucasque C m_2 P. V 105 pallentem V m, *pallentemque C m_2 T Bu. VII 567 ex unua V, ex ima B Ac, *ex una C m H.

Easdem denique lectiones atque C et m nonnullae editiones priscae exhibent hisce locis:

I 227 Minyas C m Ac (cfs. p. 23.). I 287 seu venae quiquam V, sevae $\overset{c}{\text{nequiquam}}$ $\overset{m_2}{\text{m}}$, *saevae nequiquam CM Ac. I 337 *minantem C m_2 in marg. Ald (cfs. p. 27.). II 477 Idaea C m_2 Pi sqq. (cfs. p. 21). II 573 turica α, *dorica C m_2 BT Bon I. III 10 *primas C m T Bon II sqq. (cfs. p. 33.). III 330 *gemino C m_2 Bon II Ven I II Ald Balb (cfs. p. 33). III 455 *nostrive luant ea C m_2 T Ac exceptis Bon I II Ven I II Junt I II. (Cfs. p. 33). III 609 *comprensa trahentem m Ac, compressa trahentem C (cfs. p. 33). V 95 *omina C m Ald (cfs. p. 27). V 203 miceat m_2, micat BT_1 Pii codd, *micet C, misceat V. V 680 *accipite C m B Ac exceptis Bon II Ven I II Mas (cfs. p. 34). VI 129 *odorato spirantes C m_2 T_1 Pi Ald (cfs. p. 20). VII 229 *redit itque C m_2 T_1 Pi Mas sqq. (cfs. p. 21). VII 394 *sub altas C m Ac (cfs. p. 34). VII 557 *ducem tum C T Bu Ac (cfs. p. 35). Quorum locorum numerus facile augeri poterit.

Quodsi exempla quae attuli respexeris, invenies plerasque

quae in C insunt lectiones etiam ex V ipso exoriri potuisse m non adhibito. Sunt tamen complura, quae propius ad m accedere videntur, velut II 318. III 595. 638. IV 308 al. Quibus obstant alii loci, quibus C ex m non pendere verisimile fit, veluti:

III 539 pe^{r}cula V, ‘r’ a prima manu addito, pocula' C, per loca m Cok Bon I II Ven I Ii, *fercula Pi sqq. V 239 quecumq V, quaecunque C, *quemcumque m T Ac. VI 69 sidonya caesinaque V, Fidon Jacesinaque C, sydona caesinaque m, *Sidon Acesinaque Bon II sqq. VI 714 iamq videt V, iam videt et C, iam qui det m T Bon I, *iamque videt. VII 84 liberine tues V, Tiberine tuos C, liberi metues m, *Tiberine tuens. VIII 39 iam . . . V, iam nunc C, *iam iam m TB Ac. II 26 altu V, *altum S Ac, alto C, altis m. I 351 amplexu VC, *amplexus m Ac. III 209 Vesubius V, Vesubus T Bon I, Vesulus C, *Vesvius m. Adde: II 271 ut pater V, utque pater m TB Ott, ut pater et C Bon II Ven I II sqq. V 51 aeta VBC Pi Eng Col Gryph, oeta m, ... que T Ac, *Aea.

Alii autem loci, ubi C veras lectiones praebet, hi sunt:

V 534 ali V, alio m BT Ac, *tali C. V 200 perteveara V, praetervehas m, praetervehar m_2 Bu Ac, *per te vehar C. VI 121 *quas otaces V C, qua sotaces m. VII 24 . . . erigit V, erexit m BT Ac, *levis erigit C. VI 88 *aeratam VC, aerectam m, erectam T Ac. VIII 40 quaesisse VC, rexisse m T Bu Ac. V 254 refosis V, refossis m BT Bu edd ante Eng. *refusis C. VII 421 . . . pendere V, *me pendere C, expendere m, me expendere Ac. VIII 14 *senecta VC, senectae m T Ac. III 123 *manu et longe VC, manus et longe m T Cok Ac, manum et longe m_2. Quibus locis addas: I 100 *fama VC Ald, forma m TBN Ac. I 619 *latus α C Ac, latere m. IV 600 Ancom V, *Ancon C Mas Pi, Acon m T Bon I Junt I II Ald. IV 724 inveniat V, *invenit C Pii codex Pi, invehat m TBR Ac. V 348 *et in vittis VC Pi, et invictis m, et immitis T Ac praeter Ald. V 423 *annum VC Pi, amnem m TB Bu Ac. V 460 bellator ostum V, *bella toros‸tum C, bella torum tum Pi Ald Eng Col Gryph, bellator ortum m B. V 641 *agger VC Pi, angor m TB Bu Ac. VI 499 *iniussa VC_1 Ac, invisa m Pi Eng Col Gryph.

Si hae lectiones, quas modo attuli, comparantur cum illis, quas supra pp. 35—37 laudavi, dubium esse non potest, quin C multo magis accedat ad V quam ad m, quare affirmo C non ex m exaratum esse. Fieri autem potuisse concedo, ut C vel γ ex m corrigeretur, quamquam ne hoc quidem necessarie statui censeo.

Restat autem, ut eos locos enumerem, ubi consensus inter C et ceteros codices emendatos exstat, ac primum quidem in falsis lectionibus:

I 130 hic spe .... V, spectes etenim V_2, sperata S m, idem igitur in α erat. insperato CP, quod a sensu non recedit, sed a tradita scriptura 'sperata'. Qua de causa in textum non recipiendum est 'insperatos', ut adhuc plerique editores fecerunt, sed potius Baehrentis coniectura praeferenda est: 'sperata *diu Tyr*rheni', quam probari me docuit Lipsius Catulli carmine LXIV 3

'quoi simul optatae (sc. a Peleo) finito tempore luces
advenere domum, conventu tota frequentat
Thessalia, oppletur laetanti regia coetu'.

I 342 ut deque V m, ut de S, ut dent CH Bu Carr. *video. I 420 celera V m, celer aerea BT_1 Ac (S deest a v. I 393—442), caelataque C Bu Carr. 'caelata' optimum sensum praebere apparet, sed aliam offensionem inesse Leo uberius exposuit (G. G. A. 1897 q. 955 sqq.) in 'que' particulae transpositione. Et quamquam Langen hunc usum ex Valerii ipsius carmine probare studebat, tamen Leonem eum recte refutasse puto, cum diceret poetam non ausum esse singularem Vergili usum particulae 'que' in voce 'iamque' excedere, cfs. Val. Fl. II 168. V 84. VII 310. 449. — I 49 igitur non scribendum est 'lacera adsiduis meque' (namque codd), qua in re ille quoque haesisse videtur, qui in C scripsit 'meque adsiduis lacera', sed recte nuper Renkema[1]) locum restituit scribens 'lacera adsiduis iamque'. I 848 autem sicut II 224 'que' esse *ἀπὸ κοινοῦ* dictum Leo affirmat: 'natum inducitque nurum' et 'sed temptare fugam prohibetque

[1]) Observationes crit. et exeg. ad C. Val. Fl. Arg. diss. Traïecti ad Rhenum 1906 p. 7.

capessere contra'.[1]) Pro celera autem sagacissime proposuit Chauvin 'celer aspera',[2]) qua in lectione respicias similem verborum exitum, quo scriba in errorem inductus est. I 479 fessaque fluctu codd, fessaque lucta C Carr, fessaque luctu M_1 P, *fissaque fluctu. I 751 *aeolus arvis codd, Aeolus antris CT Carr. II 318 pharii se . . . ab antris V, phariis e . . . ab antris M P Ott, Phariis referebat ab antris NT Reg F Ac $Carr_1$, Pharii se patris ab antris C $Carr_2$, Phariis e patris ab antris m U, Phariis et patris ab antris Cok. cfs. supra p. 36. Quid Valerius h. l. scripserit, haud scio an nunquam in lucem proditurum sit; liceat interim Caussini 'est rumor' retinere. Aliud autem ex hoc loco cognoscitur: doctus ille, qui lacunam explevit, non ignorabat, quomodo tales lacunae exoriri solerent, quam ob rem vocem antecedentis simillimam in lacuna posuit. Cuius rei tum te memorem esse iubeo, cum in C optimas lectiones pro lacunis Vaticani inveneris, quae propriamne memoriam praebeant an coniecturis debeantur dubitare poteris. IV 27 *in amnes V codd, inanes CM_2 P Carr; de hoc loco cfs. Langeni annotationem. IV 722 *glaciantibus codd, glacialibus CT_1 Carr. V 41 *relinquo codd, relinquor CT Carr. V 332 *flumina codd Carr, lumina C Bu. V 502 *petivit codd, petivi C T_2 Carr. VI 118 lagae codd, longae H, longaeva C Carr, *Lagea. VI 486 *ignava codd $Carr_1$, ignara C Bu $Carr_2$. VI 554 amastri V, Amastrum CB Carr, *Amastrin Bon II sqq. VI 700 *patrium codd, patriam CH Carr.

Huc accedunt nonnulli loci, ubi C cum ceteris codicibus deterioribus in veris lectionibus consentit:

III 254 aversique codd, *versique CT Carr. IV 338 profusique V Ac, *perfusique C T_1 Bon I i. marg. Carr. VI 194 Chremedonidis V (m T sine h), *Chremedonis C m_2 T_2 Carr. VI 458 ac prior ac m (V deest), atque prior hanc T, *ac prior

---

[1]) Adde I 100 omnis avet quae iam bellis spectataque fama turba ducum. II 431 tunc tenuis Lemnos transitque Electria tellus — si recte legitur. III 233 tunc ensis placeatque furor. III 560 nil umbra comaeque turbavitque sonus. VI 384 quae scopulis trabibusque diu confectaque flammis procubuit [machina muri].

[2]) Revue de philol. XIX p. 32 sqq. asperos dici posse caestus apparet, sed Pollucem celerem appellari posse Chauvin suo iure affirmat.

hanc C Carr. VI 730 meritas tum V m, *meritas tua C_2 T_1 Carr. VII 557 spatioque ducentum V, spatioque ducem tum T m Ac, *stipatque ducem tum C Bu Carr.

V.

Supersunt autem multi loci, in quibus lectiones codicis C solo in hoc codice exstant, ita ut complures viri docti dixerint C ex codice melioris auctoritatis nunc deperdito correctum esse, cuius vestigia solo in C servarentur. Quod diiudicari non potest, nisi in singulos locos inquiritur. Ac primum quidem de falsis lectionibus codicis C verba faciam. In quibus secundum ea, quae adhuc disputavi, non solum ei loci habendi sunt, ubi C aperte corruptus est, sed etiam ei, ubi scriptura codicis C probabilem sensum praebet, dummodo demonstrari possit correctorem habuisse, quod in lectione Vaticani haereret, et alia lectio inveniatur, quae propius ad scripturam Vaticani — vel codicis α in ll. I—IV 317 — accedat, quippe ex qua omnibus locis exeundum sit. Verisimillimum est, hic quoque Carrionem interdum mentitum esse suasque ipsius coniecturas auctoritate codicis confirmare studuisse, incertum autem est, quibus locis hoc fecerit, quamquam in nonullis suspicio oritur.

Jam supra p. 15 ann. 2 complures locos enumeravi, in quibus in C textus mutatus est, ut sermo concinnus fieret. Aliis locis corrector metri causa textum mutavit velut:

I 637 ora fatigant aspectu in misero tota cum α, o. f. aspectu tota in misero C Carr, unde plerique editores in textum receperunt 'toti in misero'. Sed apparet in C verba transposita esse, quod vocis 'tota' ultima syllaba correpta in thesi erat. Qua de causa sequor Koestlinum et alios scribentes 'in misero toti'. II 166 obvia quaeque eadem trahitque auditque α, retrahitque C Carr, *traditque auditque. II 156 *scis simile ut flammis simus genus. Scis sumus ut similes flammis, genus C Carr. Respicias autem in VP Ott legi 'scis simili ut flammis simus', quod facile aliquis correxit in 'scis similes ut flammis simus'. Tum metri causa corrector ordinem mutavit et pro 'simus' 'sumus' substituit. II 600 stant tumulis; hic prima pia sollem-

nia Phrixo ferte manu codd, st. t. celeres hic prima piacula Phrixo ferte manu C; utra lectio praeferenda sit, non difficile est dictu, cfs. de hac re Thilonem p. LXXVII. Num autem, ut Thilo censet, 'prima piacula' ex Verg. Aen. VI 153 sumptum sit, dubito, neque glosssema 'piacula' suprascriptum fuisse verisimile est. Fortasse res ita se habuit: scriba aberrans a 'pia' in 'solemnia' hoc omisit. Tum corrector 'pia' supplevit ad 'piacula' et metri causa inseruit 'celeres'. Meynckei autem sententiae, sc. in α fuisse 'stant tumulis .... hic prima pia .... Phrixo', obstat Vaticani et Sangallensis consensus. V 586 nec tamen immissis hic genitor ibit habenis V, immissis genitor sic C, *immissis hic segnior edd. VI 305 *teque per hanc genitŏr inquit tibi si manet oro V, inquit genitor tibi C, quod miror etiam Thilonem recepisse, nam brevem syllabam aliis quoque locis in thesi habemus, velut VI 152 saevŭs honor, II 225 arma metŭs, adeo, III 234 sanguĭs exuberet (cfs. Schenklium p. 293, Langenum ad v. II 225). Idem accidit in v. VI 571 *brevibŭs ereptus in annis V, brevibus praereptus C. VI 723 fuga fera ducum V, fuga torva C, *fuga foeda T edd Carr, ubi corrector vocem similis sensus substituit scripturae codicis ratione non habita. VII 380 aliter caeoae V, alia aeaeae C, ubi 'caeoae' mutato in 'aeaeae' aliquis 'aliter' correxit in 'alia' metri causa. *aliter caecae.

Huc spectant ei quoque loci, ubi lacunae in codice α exstantes in C falso expletae sunt:

I 227 Jamdudum minsas ambige α. Prisci editores scripserunt 'iamdudum vates Minyas ambage' aut 'iamdudum Mopsus Minyas ambage', quae coniecturae in margine Monacensis ab altera manu additae sunt. Neque vero subiecto opus est, quippe de quo dubitari non possit, conferas etiam infra v. 240: 'vix ea fatus erat'. Nusquam autem inveni ablativum singularis numeri 'ambage' sine ullo adiectivo positum, et cum dicatur 'sine ambagibus', semper legitur 'sine ulla ambage'.[1]) Huc accedit, quod

[1]) Uno tantum loco legitur 'sine ambage' apud Ennodium quinti saeculi, cfs. eius opusc. (ed Hartel, script. eccles. VI) I 20 p. 267, 4: 'ille putatus est sine ambage sublimior'.

aliquid exspectatur, quod illi ‘sic’ versus 234 respondeat. Qua de causa ‘longa’ codicis C [1]) non displiceret. [2]) Sed videas quanto verisimilior sit Hartelii coniectura (Ztschr. f. östr. Gymn. 1873 p. 144) ‘nimia Minyas’, quorum verborum similitudine scriba in errorem inductus est. 227 oculos pressere *α*, oculos pressere metu C, *oculos pressere manu Burmann, nisi praeferendum est ‘oculos pressere *vi*ri *ve*lut’. Nullum autem inveni exemplum dictionis ‘oculos premere’ pro ‘oculos manu premere’. II 398 saevam at halamas V, saeva ma thalamos P, saevit amor C, *saeva magis. III 143 exuvias opima cadavera codd, exuvias o prima cadavera C, *exuvias et opima cadavera BT Cok Ac. III 462 Sacrificiis factis Minyae iussu Mopsi insulam Cyzicum relicturi sunt:

> ‘illi alacres pars arma locant, pars ardua ....
> insternunt tabulata toris’.

Ac primum quidem quaeritur, quid imponatur, tabulata an tori? Tabulata autem sunt constratum navis, Graeco sermone *σανίδωμα*, cfs. VIII 305:

> ‘interea et pedibus pulsant tabulata frementes’.

Apparet autem, non remiges pulsare, quippe qui vehementer remigent, vel non solum remiges, sed etiam ceteros, qui in Styri navibus adsunt, cfs. v. 301. Tabulata igitur non tum demum imponi possunt, cum nautae profecturi sunt, sed immobiles sunt. ‘Toris’ [3]) igitur per ablativum intellegendum est. Sunt autem tori, quae Graece *ὑπηρέσια* vocantur, cfs. quae Langen attulit exempla Pers. sat. VI 46 et Ov. met. VIII 645. Quomodo

---

[1]) De discrepantia inter C_1 et C_2 vide supra p. 23 sq.

[2]) Quod Thilo offendebat eo, quod prior pars versus ante penthemimerim nihil contineret nisi spondeos, facile refutatur collatis versibus II 410. III 699. VII 135 aliis.

[3]) Pro ‘toris’ nonnulli scripserunt ‘foris’ (H Parrh Mas editores Heinsium sequentes usque ad Thilonem), quod removendum esse puto. Fori enim sunt navium latera concava aut tabulata navium, cfs. Isid. Orig. 19, 2. Et apud Charisium legimus I 19: ‘item fori sunt in navibus, quo nautae sedentes remigant’. Quod intellegendum videtur de illis tabulatis, quibus transtra imponuntur — qui fori paulo altiores sunt quam *σανίδωμα* — aut de transtris ipsis. Sed ne hos quidem foros profecturos demum nautas imposuisse mihi persuadeo.

autem tabulatis, h. e. *σανιδώματι*, imponuntur tori, qui potius super transtra sternuntur? Videtur igitur poeta h. l. non solum tabulata propria, sed tabulata una cum transtris dicere. Idem iam Schenkl iudicavit, cum diceret (p. 331) ‚die tabulata, d. h. der gegen das Verdeck erhöhte Gang, der um das ganze Schiff lief und den Sitzplatz der Ruderer bildete'. Qua de causa scripsit Valerius 'ardua tabulata', quae Charisius l. l. foros vocat. Quod Damsté [1]) non intellexit, cum Schenklio adversarius fieret. Quae autem vox excidit post ardua? Damsté 'summis', quod editiones priscae praebent, collatis Appian. bell. civ. V 107 et Sil. Pun. XIV 423 ita explicare studet: tabulatis varios remigum ordines inter se separari, et summos toros esse toros thranitarum, qui summum ordinem obtinerent. Quod attinet ad triremes, Argo autem unum tantum thalamum vel ordinem habet, cfs. vv. I 352 sqq. et Langeni annot. ad v. 351. Concedo sane toros poetam summos dicere potuisse, quia summis toris triremis navis respondent, quamquam hoc mihi haud verisimile est. Quomodo autem de 'celsis' iudicatur? Hesych. sub *ὑπηρέσια: τῶν κωπηλατούντων δέρματά τινα, ὡς προσκεφάλαια, ἐφ᾽ ὧν καθέζονται* et schol. ad Thuc. II 93: *ἐστὶ τὸ κῶας ᾧ ἐπικάθηνται οἱ ἐρέσσοντες*; quomodo igitur toros poeta celsos vocaverit, nemo sane videt [2]). Suspicor autem 'celsis' esse coniecturam eius, qui 'summis' ante oculos habebat. Quid scribendum sit, incertum est, fortasse 'scorteis'. Schenkl proposuit 'scirpeis'. IV 29 conciliat iungit-

---

[1]) Advers. crit. ad C. Val. Fl. Arg. diss. Lugd. 1885 p. 27 sqq.

[2]) Aliter res se habet iis locis, qui Thes. L. L. III 773, 26 cum hoc loco comparantur:

Val. Fl. III 339:

'hunc crebris quatiens singultibus ora
adlevat Aesonides celsoque reponit in ostro,'

h. e. in rogo elatiore, qui purpureo velamine ornatus est. Nostro autem loco toros celsos appellari posse, quod in celsis tabulatis positi sunt, nego, quia hoc iam expressum est voce 'ardua'.

et Stat. Silv. III 1, 37:

'hic tibi Sidonio celsum pulvinar acantho
texitur',

ubi pulvinar celsum Sidonio acantho idem significat, quod in rebus aereis caelatum vocatur.

que et fontis honores codd, conciliat iungitque suos et fontis honores C, quo recte Burmann bis idem dici vidit. Optime autem proposuit 'toros': 'per conubium enim dei vel deae aditus ad immortalitatem et numen erat'. Addere potuit Hylam Herculi narrare quid sibi contigisset, sc. se non solum a nympha raptum esse, sed etiam maritum nunc eius esse, ut apud Ap. Rh. I 1324 legimus in Glauci vaticinatione:

αὐτὰρ Ὕλαν φιλότητι θεὰ ποιήσατο νύμφη.
ὃν πόσιν.

IV 287 artificum notata$^{.et}$.manus V, 'et' a prima manu addito, artificumque notata manus S, unde in α fuisse 'notata et manus' verisimile est, non ut Schenkl (p. 323) voluit 'rotat$^{.et}$.na —'. C autem praebet 'notat ipse manus', quod Langen in textum recepit allatis exemplis hac voce dominum significari. Sed duobus illis locis res paulo aliter se habet. Trist. IV 11, 11 enim Ovidius consulto nomen Augusti tacet in enuntiato, quod ad principis favorem reconciliandum scripsit, quem paulo ante (v. 8) et saepius in illo carmine satis perspicue significavit. Atque simili modo met. 390 Sol ira in Jovem inflammatus eius nomen praeterit, sed eum, qui ipse adest (cfs. vv. 394—99, imprimis v. 396), omnino neglegens ceteros deos alloquitur: 'ipse agat' etc., qua in re de motu aliquo corporis cogitari potest. Hoc autem loco Valeriano nihil eiusmodi fit, quin etiam obscura fit tota descriptio inde quod statim sequitur 'et fulmina Cyclops prosubigit', ita ut 'ipse' ad Cyclopem referatur. Neque enim usquam Vulcani mentionem poeta facit. Quin igitur C coniecturam praebeat non dubito, qua de causa exeundum est a scriptura Vaticani. Neque iniuria fortasse Heinsius vocem 'Aetna' restituit. In verbis autem quae sequuntur 'notat Aetna manus' omnes fere vv. docti haeserunt. Notare idem esse atque inspicere voluit Langen, quod cum eius 'ipse' iam reiecerim non intellegitur, nisi Aetna translate accipitur pro Vulcano, cuius translationis exempla non inveni. Schenkl autem, cum constaret Claudium Marium Victorem Valerium multis locis imitatum esse, proposuit ex comm. in Genes. III 735 'rotat Aetna'. Sed longe alia ibi est sententia:

'sed quas rotat Aetna
quas vomit Inarime'

sc. nebulas. Et 'artificum rotat Aetna manus' vix aliter intellegitur nisi: artifices, qui sunt in monte Aetna, manus vel potius instrumenta, quae manibus tenent, rotant, id quod num illo modo dici possit, valde dubito. Aliter autem Koestlin (Philol. XXXIX 50) locum explicavit: Aetna vigilantia sua ('pervigil Aetna') indicat manus artificum, sc. artifices laborare, id quod non displiceret, nisi exempla huius usus verbi notare deessent. Quare cum ipse meliorem medelam huic loco affere non possim, hoc tantum statuere mihi liceat codicis C lectionem esse coniecturam. IV 388 languentia .... V m, languentia somno C, quod genuinum non esse iam inde intellegitur, quod etiam v. 389 exeat in 'somnos'. Atque optime Thilo et Schenkl censuerunt versus 388 ultimam vocem irrepsisse in v. 387, nam certe insolitum est 'heus *respice* cantus'. Qua de causa in v. 388, id quod iam prisci editores fecerunt, restituendum est 'cantu', et in v. 387 fortasse 'custos' cum Schenklio, quod litterae 'c' causa praeferendum puto 'pastor' a Thilone proposito. Ad 'respice' autem absolute dictum cfs. Verg. Aen. II 615. (gib acht!). V 72 sedens dimiserat V, sedens tristes diviserat C, quod suspiciosissimum esse iam Thilo vidit, quoniam in versu sequenti legitur 'tristes Acherusidos oras'. 'Placidas' autem propter Lyci hospitalitatem placere Thiloni affirmanti non credo, exspectatur potius simile aliquid illius lectionis codicis C, fortasse '*s*eden*s* *s*aeva*s*' (Schenkl, cfs. Verg. Aen. V 270 saevus scopulus), aut '*di*ras *di*miserat' (Lœhbach, cfs. Plin. NH IV 11, 51 scopulus dirus). V 645 ... ego V, an ne ego C_1. Particula autem 'ne' vis simplicis 'an' augetur, non in contrarium vertitur, ita ut lectione C recepta prorsus contrarius sensus evadat eius qui est. VI 300 agmina non usquam videt V m, agmina quem quaerit nusquam videt C, quod sane eleganter dictum est. Sed cum hac in lectione tradita scriptura nimis mutetur, praeferendum est Lœhbachii 'natum' Schenklii coniecturae 'Cyrnum' et quod 'Cyrne' paulo antecedit et propter similes verborum exitus 'non usqu*am* nat*um*'. VI 417 Hic locus

eodem modo ac v. III 9 aberratione scribae a 'ne*que*' in versus sequentis 'misera*que*' corruptus est. Supplementum autem codicis C 'neque cura cavere' omnibus post Thilonem editoribus suspectum fuit praeter Giarratanonem, qui hoc in textum recepit, iniuria ut mihi videtur. Nam recte Thilo (p. LVI) monuit non cavenda Colchis tela, sed mittere tela eis non opus fuisse. Quod etiam aliunde probari puto. Sequitur enim in vv. 420—22 comparatio huiusmodi pugnae et venationis:

'quam cervos ubi non Umbro venator edaci
non pinna petit, haerentes sed cornibus altis
invenit et caeca constrictos excipit ira',

quo loco Wagner in commentario suo pinnam esse dicit quae formido appellari soleat, nostro sermone 'Lappen', quod ei non credo. Neque enim ille editor eis exemplis quae attulit uti debuit, cum et Verg. Georg. III 372 et Aen. XIII 750 legatur 'formidine puniceae pinnae' et Ov. met. XV 475 'formidatas pennas', quibus locis addas Lucan. IV 437. Exempla autem, ubi pinna sola formidinem significat quantum scio non exstant. Pinna igitur h. l. est sagitta et sensus totius loci est venatorem cervos inermes excipere, non cane et pinna petere. Neque Umbrum canem ad terrendos tantum cervos adesse docemur adiectivo 'edaci': mordet eos. Magna autem difficultas est in priore parte versus 'haut usquam Colchorum animi', ita ut de hoc versu nihil aliud statuere audeam, nisi quod persuasum habeo codicis C scripturam esse coniecturam. VI 756 iam iam quodcunque paratae V, quocunque C_1, recte legitur 'ad quodcunque' Baehrentis aut 'in quodcunque' R T_1 Pi Ald. VII 21 tum iactata toro tumque experta cubile V, tumque exspectata cubili C.[1]) Apparet hanc scripturam a sensu loci recedere, ergo coniecturam esse. Quid autem scribendum sit, valde incertum est, fortasse 'totumque' Lœhbachii, quod ex similitudine verborum 'toro totumque' non displicet. VII 174 data continuo cingula soli V, data continuo sed cingula soli C, quod in sensum quadrare nemo negabit. Videas autem quanto melius Heinsius coniecerit 'quin cingula'. 'Quin' pro 'quin etiam' saepius apud Valerium legitur.

---

[1]) De discrepantia inter C_1 et C_2 vide supra p. 23 sqq.

VII 152 si tamen aut superis aliquam spem ponis V, si tamen aut sumtis aliquam spem ponis in armis C, quod ab omni parte falsum esse e conexu sententiarum satis apparet. Medea enim Jasonem obsecrat, ut, si una ex duabus facultatibus sui servandi supersit, ea utatur neve se, Medeam, ad impietatem perducat. Hae autem duae facultates sunt auxilium Junonis Minervaeque et Jasonis ipsius virtus (cfs. vv. 437—42),[1]) quae hic iterum afferuntur. Cuius rei rationem non habens corrector ex eis quae sequntur supplevit 'in armis' et 'superis' audacter mutavit in 'sumtis', ita ut sensum plane perderet. Scribendum autem est e Thilonis coniectura 'in istis'. VIII 39 causa reperta mihi iam nonnulla requiro vellera V, iam nunc non ulla[2]) requiro C, quanto autem melius suppleatur 'iam iam' B m T Ac (mihi, mihi iam Leo), nemo est quin concedat.

Praeter hos autem locos C aliis circiter centum et sexaginta falsas lectiones praebet:[3])

I 79 *incertum codd $Carr_1$, incaeptum C_1, incoeptum C_2 $Carr_2$. I 116 *inviti codd Carr, invicti C. I 141 racia V, trachia ST, extracta C, *Atracia NT_1 m_2 edd Carr. I 356 Crestus V m, Creteus S m_2, Cristatus C Carr, *Piresius Parrh (cfs. Ap. Rh. I 37). I 385 *alba codd Carr, ima C_2 aberratione scribae in 'palla imos'. I 535 cur codd, ut hinc C Carr, quod glossema videtur esse illius 'cur', recte autem legitur 'cum' Balbi. Et huius 'ut hinc' causa 'adque' versus sequentis falso in C_1 Carr mutatum est in 'utque'. I 554 *concedere codd Carr, concidere C_2. I 558 movendo codd $Carr_1$, movebo C $Carr_2$. I 619 *puppis in obliquum resonos latus accipit ictus codd Carr, puppis in obliquam resonat, latus accipit ictus C_2 $Carr_2$. I 654 *ad Aeoliae . . . aequora portae (porte V) codd Carr, Aeoliae . . . aequore C_2, quod contrarium est ei quod poeta dicere vult. Cur autem Langen in 'aequora' haeserit nescio. Quae enim sit Aeolia porta, apparet ex vv. 609—10, non autem quae sit Aeoliae porta, ut

[1]) Ne mireris, unde Medea sciat Jasoni esse deas adiutrices, cfs. VII 271.
[2]) Non ulla N m Mas Eng sqq.
[3]) Cfs. etiam Schenklium p. 322 sqq.

scribit Langen: 'ad Aeoliae .... aequore portam', neque intellego quid sibi velit ablativus 'aequore'. Sane miretur aliquis, cur poeta dicat ventos ad aequora portae, non in portam ipsam redire. Sed respicias non solum ventos, sed etiam horrorem, undam, imbrem redire. Caerulus autem horror et unda cum mari arte cohaerent, ita ut ubi mare non est, neque unda neque caerulus horror esse possint. Contra mare sine caeruleo horrore et — non sine unda, ut Langen recte dicit, — sed sine 'unda gravi madido sinu' cogitari potest. Si autem haec unda deest, abiit, mare quiescit. Egregie igitur h. l. Valerius describit, quomodo tempestas praetereat et paulatim mare turbatum placetur. I 684 *anxia codd $Carr_1$, inscia C_2 $Carr_2$. II 14 reverso codd, reversum C_2 $Carr_2$. *reversus T edd $Carr_1$. II 57 *ore codd C_1, orbe C_2 $Carr_2$. II 64 *conditus codd, conditur C Carr. II 179 *culmen agi α $Carr_1$, fulmen agi C $Carr_2$, quod quomodo intellegatur non liquet. Ceterum Langen recte animadvertit e versibus sequentibus apparere poetam 'fulmen' non scripsisse; dicit enim Venus-Dryope 'nam *cetera belli* perpetimur', unde concludas si non omnia, attamen proximum ad bellum pertinere. II 181 *aut fugiens codd, ut fugiens C Carr: non urbe relicta nova servitia timent, sed si in urbe manebunt. II 193 *accubat codd Carr, occubat C_2. II 196 *pinum codd $Carr_1$, pontum C $Carr_2$, quod ex antecedenti 'undantem' exortum esse videtur. II 213 *meritos codd, meritas C_2 Carr, errore scribae propter antecedens 'comas'. II 214 *verbere victas codd, verbere ductas C Carr. II 218 *series codd Carr, facies C, aberratione ut puto in v. 216, fortasse ex similitudine litterarum s et f. II 237 *dura codd $Carr_1$, dira C $Carr_2$. II 283 patrios furtis accendere (*accedere) codd, patrios (patriis C_2 $Carr_2$) bustis accendere C Carr. (Cfs. etiam supra p. 14 ann. 1). II 294 *heu serum furtis scelus α, heu miserum furtis scelus C Carr. Ad hunc locum cfs. Samuelssonem (Eranos VI p. 88—89), qui recte 'serum' adverbium esse dicit et 'furtis' idem esse atque 'clam'. II 317 sed magxima taetå V, sed maxima tete S, sed maxima coete C_1 Carr, caete C_2. Iam supra vidimus ne sequentis quidem versus supplementum 'se patris' esse genuinum, neque

'coete' vel 'cete' poetam scripsisse pro certo habeo. Ac primum quidem quid cete sibi volunt, cum infra dicatur 'iunctis super aequora phocis'? Tum autem, id quod gravissimum est, desideratur Polyxo ipsam nominari, quae una cum Proteo Phariis ab antris venerit. Idem obstat Schenklii coniecturae magna cum sagacitate prolatae (p. 285) 'sed te vaga Ceto', ut omittam eum Valerio suggerere Ceto uxorem Protei finxisse. Res in dubio relinquenda est. Proponerem autem 'tete' S vel 'teque', etsi non intellegitur cur 'maxima' — quod tum per vocativum intellegendum est — poeta eam alloquatur, nisi haererem in secunda persona, cfs. enim v. 320 'saepe imis *se* con*dit* aquis'. Ceterum verisimile est post v. 317, ut iam Thilo suspicatus est, unum versum excidisse. II 323 *advenit et codd. adveniet C $Carr_2$ falsa verborum distinctione exortum. II 362 *terror codd, tortor C_2 $Carr_2$. II 396 *gerant codd, regant C $Carr_1$. II 398 *excussaque codd Carr, exclusaque C_2. II 399 *admittere codd Carr, ammittere C_2. II 431 transitaque codd, transibatque C_2 metro repugnante. Num 'transitque' T edd Carr recte dicatur, diiudicare non audeo, cfs. Langenum de hoc loco. II 517 *omnia codd Carr, omina C. II 518 *illa codd, ille C_2 Carr. II 547 *tum codd, cum C_1 $Carr_2$. II 577 vocatis codd Carr, vocantis C_1. II 661 *adferat codd, efferat C $Carr_2$. III 35 *ecce iam codd Carr, et Caeam C ex falsa verborum distinctione. III 71 *furenti codd Carr, parenti C_2. III 138 echelum codd, Ethelum C_1 $Carr_2$. *Echeclon coniecit Thilo: neque enim Etheli neque Echeli nomen usquam legitur, contra Ἔχεκλος est filius Agenoris Il. XX 474 et Paus. 27, 2, et unus e Troianis Il. XVI 694. III 169 occumbens et nunc S m (V deest), occumbens i nunc C. Hic locus variis coniecturis temptatus est. Neque enim ullus vir doctus codicum lectionem retinuit praeter Koestlinum (Philol. XXXIX p. 422), de cuius explicatione verba facere non opus est. Omnes autem fere editores post Carrionem codicis C lectionem receperunt, in qua non minus haerendum esse censeo quam in Vaticani scriptura. Uno enim loco excepto Valerius cum imperativis 'i' et 'ite' utitur, aliquem monet, ut re vera eat aut abeat, cfs. I 56. III 488. VI 29. 285. VIII 35. I 750 autem 'i' idem fere est atque 'age',

id quod hic in censum non venit. Se ne illud quidem hunc in locum quadrat. Neque enim Hercules Admonem monet, ut fugiat vel eat: ipso loco ei moriendum est. Atque eo quoque offendo, quod 'i' cum participio praesentis iungitur. Quare praeferendum esse puto aut Buryi 'occumbes en nunc' aut 'occumbes tu nunc'. Addam autem pauca de versu sequenti:

'donum ingens semperque tuis mirabile fatis',

quem sic recte traditum esse mihi non persuadeo. Neque enim intellego verba 'donum .... semper tuis mirabile fatis'. Mutandum autem est aut 'mirabile' aut 'fatis', qua in re lenior coniectura Lennepii 'natis' praeferenda est. In ipsa voce 'mirabile' non esse offensionem apparet ex Hor. ep. I 6, 23

'hic tibi sit potius quam tu mirabilis illi'.

III 177 *tua codd Carr, tria C_1. III 194 venatori erymo codd Carr, venator Hierimo C_2 ex falsa verborum distinctione. III 197 *cuspide cassis codd, casside cuspis C $Carr_2$. Quidnam sonat? Certe cassis, non cuspis. Et licet sonet cuspis, non casside sonat, sed in casside, cfs. quae ad v. II 271 annotavit Langen, qui h. l. sibi ipse adversarius est. Difficultas sola in voce 'cita cassis' est, ad quam conferas verba quae antecedunt: Erymus hastam celeri motu capitis vitavit. Fortasse huius 'cita' causa aliquis in C verba transposuit, nisi errore scribae factum est, quod cum verba simillima sint, fieri potuisse concedo. 'Extrema' autem cuspide cassis sonat, quia cuspis cassidem tantum stringit. III 251 celebrabit codd, celebravit C, *celeravit m_2 T Pi sqq. Carr. III 252 *satae codd Carr, satus C. III 270 *quos codd, quo C $Carr_2$. III 294 fatisia V Ox, *fatis id Bon II Eng Col Gryph, fatis hoc C Carr. III 258 *funera codd, vulnera C_1 Carr. III 321 *natales codd Carr, fatales C. III 350 *supremo tum clamore faces α, supremo cum clamore faces C, cfs I 158. III 359—60 arcos ad patrias codd, agros ad patrios C Carr, *arctos ad patrias R T Bon II sqq. III 399 *Cimmerium codd, Eumenidum C Carr, cfs Schenklium p. 328. III 420 esepia codd, Aesopia C_1, Asopia C_2, *Aesepia Bon II sqq. Carr. III 569 *auxisse codd hausisse C_2 $Carr_2$. III 609 compensa codd, compressa C, *com-

prensa edd Carr. III 640 *Idem orans codd, dememorans C $Carr_2$. III 709 *(a)evulsa codd, excussa C $Carr_2$, quod glossema esse videtur. III 715 *terroribus codd, sermonibus C Carr. III 731 aris codd, astris C Carr, *axis m. III 732 iacet cum flatibus codd, iacet sine flatibus C Carr, *tacet cum flatibus Burm. IV 64 *precatur codd, precantur C $Carr_2$. IV 68 *dixit ubi codd, exit ubi C Carr. IV 130 preme dure α, quam lectionem Schenklium p. 323 ann. 32 et alios recte refutasse puto, cum dicerent Neptunum subito Jovem alloqui non posse, quia cum Amyco loqueretur. 'Doliture' autem, quod C exhibet, non magis placet, cfs Thilonem p. XIX. Recte fortasse Schenkl proposuit 'premit ille'. IV 169 *absumor codd Carr, assumor C_2. IV 173 ora codd,[1]) oro TB edd Carr, gracia C. Quod vitium inde exortum esse videtur, quod corrector 'Ora', quod initio lineae a magna littera incipiebat, errore legit pro 'Gra'. IV 175 dolet et dura sic pergere mente α, dolor et duras insurgere mentes C Carr. Scripturam Vaticani esse corruptam Thilo p. LXXIX affirmavit, cum in v. 176 subjectum deesset neque cuius terga Argonautae sequi iuberentur appareret. Videtur igitur Thilo putare Jasonem iubere. Sed recte Schenkl p. 323 ann. 33 vidit Dymantem esse subiectum totius enuntiati. Etiam in explicando loco cum Schenklio consentio: Dymas Minyas certiores fecit, quantum periculum eis immineret, nisi ipsius monitis obsequerentur. Sed cum iuvenes haec verba neglegant et ille doleat eos tam pertinaces esse, desinit eos admonere, ne hoc faciant, et se sequi iubet. 'Dolet' autem in 'videt' cur mutetur non est, sed idem fere significat ac 'videt cum dolore'. Itaque in Vaticani scriptura nulla est offensio neque viros doctos tantopere in ea haesuros fuisse suspicor, nisi pravam illam lectionem codicis C ante oculos habuissent. Quae lectio non tam coniectura quam errore exorta esse mihi videtur[2]) ex falsa distinctione verborum 'durasicper-

---

[1]) Langen praef. p. 3 erravit, cum diceret in V legi 'oro', cf. Samuelssonem, Eran. VI p. 76.

[2]) 'dolor' Carrio Maserium alibi scriptum invenisse videri dicit, de qua re haud scio an in priore editione Maser verba fecerit; in altera legitur in textu 'dolet' et in commentario: 'Malo legere dolet'.

gere'. IV 187 tymantis V m, timantis ST Cok, tumentes C_2. *Dymantis Heins Thilo sqq. IV 200 *nec codd, non C Carr. 'nec' autem pro 'ne-quidem' saepius apud Valerium invenitur. IV 229 labitur codd, capitur C Carr — estne scribendum 'lavitur' an 'rapitur'? Quamquam autem forma 'lavitur' exemplis non probatur, tamen verbum lavendi tertiae coniugationis invenitur Lucr. V 948. Hor. c. III 13, 3. IV 6, 26 al. Quin igitur Valerius hanc formam adhibuerit? Ceterum cfs. Neuium-Wagnerum, Formenlehre der lat. Sprache[3] III p. 258 sqq. Denique victorem ad amnem rapi nusquam legitur, neque huc quadrat Stat. silv. I 1, 20 (cfs. Koestlinum Philol. L 735), ubi 'rapi' dicitur de celeri cursu equi. Et quod Meyncke l. l. p. 41 offendebat verbis '*ad* omnes', conferas Cic. pro S. Roscio 44 'ut esset in agro ac tantum modo aleretur ad villam'. IV 365 *astus codd, aestus C $Carr_2$, quod in sensum minime quadrat. Videtur autem 'astus' mutatum esse, quod antecedebat in V 'timuisset', pro quo scribendum esse 'finxisset' Peerlkamp, 'tendisset' Schenkl existimabat. Schenklii autem coniectura ex litterarum similitudine magis placet quam Peerlkampii, quamquam huius dictionis exempla exstare non videntur. IV 426 suis urgebat codd, sui surgebat C_2, *lues urgebat Bon II sqq. VI 451 *nusquam codd, nunquam C $Carr_2$. IV 452 *intorto V Carr, in toto C. IV 457 *manu codd Carr, manus C_2. IV 493 fraglata cervus V, *fragrat acerbus edd Carr, flagrat acerbus C. . IV 525 *letifer V, letifera C ex antecedenti 'argos' V C. *arcus. IV 524 *cum premet V Carr, comprimet C. IV 583 *rabidi codd, rapidi C_1 Carr. IV 624 sileo precor codd, quod Thilo et Giarratano in textum receperunt. Quomodo autem explicandum sit, nescio et fateor mihi hanc lectionem non minus falsam esse videri quam quod C praebet 'sileo et precor', quod coniecisse corrector videtur, quia in asyndeto haerebat. Quare praeferendum esse puto Loehbachii 'sileam precor', quod etiam Schenkl probavit. IV 633 *verumne V, nam vere C Carr. Quaestio autem quae sequitur cum verbis antecedentibus voce 'nec' tam arte cohaeret, ut haec quoquaestio sit necesse sit. IV 641 auditis V, auditus m B T Ac, auditur C Carr, *auditi Mas Ald. IV 677 incendens V, incedens

C Carr. *hinc cedens Heins. IV 726 *riget V, rigat C Carr. IV 727 anguet V, auget C $Carr_2$, *urguet Heins. Vitium Vaticani aberratione scribae exortum esse probabile est: '*an*fractibus *an*guet'. V 25 *tempore V Carr, funere C. V 57—58 *dividat-contegat V C_1, dividet-conteget C_2 Carr. V 72 *dimiserat V Carr, diviserat C. V 83 *natorum V, fatorum C Carr; cfs. ad hunc locum Thilonem p. LXXX sq. V 84 namque V, quaque C, *iamque T_1 Bon II sqq. Carr. V 94 *abstulit V, attulit C Carr. V 99 *dux V, dum C Carr – quomodo autem dici potest: 'Odrysius dum rite movet — nomenque relinquit harenis, altius hinc veritos recipit ratis'? V 104 inopia V, Enopiae C, *Inopi H Pi Mas sqq. V 105 citheron V, Cytheram C, Cytoron T Bon II sqq. V 112 *halys V Carr, Hylas C. V 134 semianimem patrius quam sanguine vexerit amnis V, quam lectionem corruptam esse nemo negabit, cum 'sanguine' sensu omnino careat. C autem praebere Carrio testatur 'semianimem patrius quam vexerit amnis in aequor'. Recte autem Schenkl p. 324 exposuit nihil omnino hic referre cadavera a fluvii undis in mare ferri. Praeterea locus Statianus (Theb. XI 277) alius est: describitur enim, ubi singuli servi mortui funus vel sepulcrum habituri sint:

'hos ignis egentes
fert humus, hos pelago patrius iam detulit amnis'.

Apparet igitur etiam correctorem codicis C sensisse textum esse mendosum et correxisse, quid sibi in mentem veniret Statio fortasse adhibito. Unde autem 'sanguine' corruptum sit, vix enucleari potest. Lacunam enim hic fuisse, quae hac voce expleretur, non credo, quia tale quid in V nusquam invenitur. Schenkl proposuit 'turbine' et magis placeret 'vertice', si videres, quomodo in 'sanguine' corrumpi potuisset. V 147 hinc tibi mauors V, inde Tymavos C $Carr_2$ (Tymanos C_2 operarum vitium esse videtur). Vix dubium est, quin scriba h. l. aberrans a 'ti-' in '-bi' scripserit 'hinc timavors' et 'hinc' tum metri causa correctum sit in 'inde'. *hinc Tibarenum Polit. V 152 *byzeres V Carr, Bytheres C, cfs. Strabonem XII 3, 18. Ibid. phyliraeque V, philyreiaque C, *Philyraeque edd Carr. V 196 tot freta tot durae properanti sidera passum V N T U F; 'properantia' praebent C T_1 R Reg Mas Pi Eng

Col Gryph Carr, quod num recipiendum sit dubito, quia etiam 'freta' sine adiectivo stat. Neque satis patet, quid sibi velint properantia sidera. Quare assentior Thiloni et aliis, qui in 'durae' —pro quo in m C Bon II Ven I II Junt I II Ald Carr legitur 'dure' — corruptelam inesse suspicantur. Recte fortasse scribitur 'cursu' cum Jacobsio. Solus autem C exhibet 'passis' pro 'passum', quod suo iure Schenkl removit, cum diceret Jasonem Phrixum et Hellen per genus invocare: 'meque tuteris — passum .... per te vehar' (200). Neque obstat v. 199 'numeroque accede tuorum' cum 'tui' non sint Jason eiusque comites, sed ut Wagner explicat, poeta dicit: 'comitem te dare velis cognatis'. Ceterum causa corruptelae in C aperta est: aberravit scriba in finem antecedentis versus 'oris'. V 220 *sub virgine V Carr, sub imagine C, sumptum ex v. VIII 202 aut VIII 460. Quin falsum sit, non dubium est, cum horrenda virgo non Minerva sit, sed Medea, cuius imago in nave non est, sed Minervae. V 239 quecumq V, quaecunque C $Carr_2$, quaecumque $Carr_1$, *quemcumque m T. Medea enim non pacta procorum petit, sed unum procum. V 262 infastum V, infestum C $Carr_2$, *infaustum T edd. V 277 *aeaeis V Carr, Aetheis C. V 443 ludus ubi extantus V m, ludus ubi est tantus C, ludus ubi est multus $Carr_1$, nonn. ap. Carr, *ludus ubi et cantus H Pii codd, Pi sqq. $Carr_2$. V 463 *praecipuo V, praecipuos C Carr. V 465 *nebulamque V m, nebulaque C Carr. V 466 effusa cytaeis V m Carr, effulsit Itheis C, *offusa Citaeis Gronov. V 520 *opertis V m, apertis C Carr. V 540 *namque V m, iamque C Carr. V 541 *astus V Carr, acti C aberratione scribae in finem versus sequentis, qui in C deest. V 552 fare omnis V m, *fare, omnes edd, fare tuis C Carr. V 564 *discolor V, decolor C Carr, quo contrarius sensus efficitur eius qui est. V 570 *patitur V Carr, potitur C. V 620 *aeaea V $Carr_1$, aetaea m, Aeet[h]ae C $Carr_2$. V 628 quaeror V, querar C Carr, *queror m edd. V 641 tantus V, tacitus C Carr, *tantum T_1 Bu Pii codd. 'Tacitus' pravum sensum non praebet, respiciendum autem hic sicut aliis multis locis est correctorem non ignorasse 'tantus' mendosum esse et cum totius loci sensu pu-

gnare. Quare illam coniecturam fecit. V 642 *si gentibus V, frigentibus C Carr, quod falsa verborum distinctione exortum est. s et f autem saepius confunduntur. V 651 tibi aolidae V, tibi Bistonidae C $Carr_2$, fortasse sumptum ex Ap. Rh. II 706 (cfs. Val. Fl. I 726. III 83). Quomodo autem hoc mendum exortum sit, recte mea quidem sententia demonstravit Meyncke l. l. p. 21: scriba syllabam 'bi' bis scripsit: tibi biaolidae. V 670 fas aliquae nequeat sic femina V, fassaque quae nequeam C Carr. Quae C praebet, certe falsa sunt, quaeritur autem, num quid genuini in eis insit. Sed si 'fessaque' scribis, contrarius sensus efficitur eius qui est. Ne Vaticani quidem scriptura probabilem sensum praebet. Nam verba si Minervae tribuuntur, Mars igitur subiectum est, non intelleguntur, nisi Pallas antea complura enumeravit, quae Marti prospere cesserunt in Palladem: Er hat da und da mir erfolgreich Hindernisse bereitet, nun soll er auch einmal etwas nicht vermögen. Tale quid autem plane deest. Coniecturarum autem, quae factae sunt plurimae, optima et lenissima esse mihi videtur Leonis scribentis (G. G. A. 1897 p. 968): 'fas aliquae nequeat sit femina', ita ut ab his verbis Mars incipiat loqui et respondeat verbis Minervae: 'frustraque tot aequora vectae'. Qua in re etiam offensio, quae erat in voce 'femina', tollitur, nam Mars supra v. 627 deam feminam allocutus erat ('femineis ausis'). Alia sane offensio manet in forma neutrius generis 'aliquae', quae semel tantum legitur apud Plin. NH XVII 219, ubi omnes codices exhibent 'aliquae vero'. Si tamen displicet, leni coniectura scribi potest 'aliquid', quod sequentis 'femina' causa facile abire poterat in 'aliquae'. VI 66 *daraps V m, Claraps C (cfs. supra p. 11). VI 69 sidonya caesinaque V, Fidon Jacesinaque C Carr, *Sidon Acesinaque Bon II sqq. VI 81 Coeia laetae V, Coraletae C Carr, Ceralete T_1, *Coelaletae Thilo, cfs. Tac. Ann. III 38. Plin. NH IV 41. VI 82 *sub vellere V Carr, sub vulnere C. VI 96 *aea batarnas V, Exabatarnas C_1, Exabaternas C_2, et hoc mutato demum 'in se', quod spectat ad Aeam, consulto mutatum est in 'secum', cum iam non esset, quo pertineret. VI 123 notusque refutat V, notosque refutat C, quod falsum est, cfs. versum sequentem 'arcŭs ĕt'. Neque

'notusque' recte stare censeo, cum 'refutare' absolute dictum quantum scio non inveniatur. Lenissima autem coniectura Heinsius scripsit 'motusque', quod praeferendum est 'refutat' mutato in 'recusat' (Langen) aut 'resultat' (Postgate) et optimum sensum praebet. Refutare enim significat interdum 'non admittere, negare', cfs. Lucr. III 351 'si quis corpus sentire refutat'.[1]) Hunc autem in locum bene quadrant Sall. frgm. I 125 (Maur.) '[Celtiberi] se regibus devovent et post eos vitam refutant' et Solin. XXII 7 (Mommsen[2]) 'nummum refutant: dant res et accipiunt'. VI 140 *vada V, iuga C Carr, quia corrector Hebrum montem arbitrabatur. VI 143 Emeda V, Eumeda C Carr, de qua forma omnino nihil constat. Emoda primum legitur in Bon II, quam remotiorem esse Langen dicit.[2]) Fortasse scribendum est 'Comeda': *Κομῆδαι* vel *Κωμῆδαι* gens Scytharum vel Sacarum sunt, cfs. Ptol. VI 13, 2. 3. 12, 3. 1, 42. VI 165 aut is apud fluvios volucrum clamor aethera quantus V, unde fecit corrector in C 'aut is apud fluvios volucrum quatit aethera clamor', quod recte non stat, cum conexus sententiarum interrumpatur. Accumulavit enim Valerius hoc loco complures comparationes, quas nec Bussenum[3]) nec Langenum recte perspexisse video. Affirmat enim Langen primum comparari sonum tubarum cum strepitu fluctuum ventis agitatorum et cum clamore avium, tum multitudinem hominum cum fluctibus atque foliis et floribus, denique terrae motum equorum et curruum cursu excitatum cum eo qui erat in pugna Jovis cum Gigantibus. Ac primum quidem non video, quomodo 'nec tot ab extremo fluctus agit aequore' coniungi possint cum 'aethera quantus tunc lituum concentus adit', spectant enim potius ad ea quae antecedunt, h. e. multitudo hominum comparatur cum multitudine fluctuum aequoris.[4]) Altera

---

[1]) Cfs. Heinzium ed. Lucr. III p. 101: quod refutare hic tam prope accedit ad 'negare', sequitur acc. c. inf.

[2]) Emodus vel Emodi montes Indiae sunt (Himalaya?).

[3]) De Valerii Flacci in adhibendis comparationibus usu, diss. Jenae 1872.

[4]) Comparationes simili modo institutas habes IV 410. VII 83. 581. 'Tot' autem illi 'quot' v. 167 non respondere inde apparet, quod si 'tot-quot' respondent, ab altero correlativo rem quae illustratur, ab altero imaginem qua res illustratur incipere necesse est, id quod nostro loco non fit.

comparatio inest in verbis 'nec sic — concentus adit'. Tum incipit tertia: 'lymphataque — annus', h. e. multitudo hominum comparatur cum foliis et floribus, non autem cum fluctibus. Hoc autem enuntiatum poeta antecedenti adnexuit, quod debuit ei subicere: qui (sc. concentus) lymphata milia tot miscet. Quarta denique comparatio est illa a Langeno tertio loco commemorata. Sane concedendum est locum obscurum esse, quod Valerius comparationes nimis cumulavit. Non autem, ut Langen affirmat, poeta priores duas comparationes in unam confudit, sed prima et secunda peracta primam denuo instituit, ita ut hanc figuram efficeret: a a´ b´ b α α' c c´, qua in re b´ constat e duobus enuntiatis 'nec sic — unda' et 'aut — volucrum'. a autem continetur vv. 160—163. Quodsi verba codicis C in textum recipiuntur, deest res quae secunda comparatione illustretur, neque enim in versibus 160—163 quidquam dicitur de sono tubarum aut de clamore hominum, sed solis de hominibus ipsis variarum gentium, h. e. de eorum multitudine. Neque versus 166 prior pars quid sibi velit intellegitur, qua de causa corrector mutavit 'adit' in 'agit' C Carr. Ceterum causa totius mutationis patet: est vox 'clamor', quae cum metro pugnat. Quare cum Schenklio (p. 325 ann. 26) scribendum erit 'clamor volucrum' pro 'volucrum clamor'. VI 208 gleacit V, graviter iacit C $Carr_2$. *Gelae iacit RT_1 edd. VI 230 viris profundis ingerit ensem V, unde prisci editores fecerunt 'profundens', quod etiam Schenkl, Langen, Giarratano receperunt. Nusquam autem apud Valerium 'prōfundus' aut 'prōfundere' invenitur, sed semper o corripitur. Prōfundere legitur apud Catullum LXIV 202 'maesto prōfudit pectore voces' et Claud. carm. min. XXXVIII 14 (Koch), quare possitne h. l. dici 'profundens' valde dubito, praesertim cum quomodo quis viris ensem ingerat profundens non liqueat. Obiectum deest etiam in Carrioniani codicis 'proturbans', quam coniecturam esse pro lectione codicis V sensum non praebente pro certo habeo. Proponam 'perfusis' sc. hastilibus, cfs. quae antecedunt:

'vadit eques densa *spargens* hastilia dextra'.

Cfs. etiam Manil. Astr. V 168

'ille potens turba perfundere membra pilarum'.

VI 234 quis age qui V, equis agitur C Carr, *equis at equi B Bon II. Ibid. *per armos V, per arma C $Carr_2$. VI 261 *ab aere V, ab arbore C $Carr_1$ sequentis 'rami' causa. VI 335 *relinquam V, relinquant C Carr. VI 336 *agros ubi tam V, agro subitam C Carr. VI 377 enhippen V, et Henippen C Carr, *Menippen Balb. VI 418 *peste V, veste C_2 $Carr_2$. VI 434 *inter regia V Carr, inter egentia C, quod ex 'interegia' correctum esse videtur. VI 441 ad fletus m (V deest), quod sensu caret. ad fremitus C Carr, quod cum nusquam inveniatur de carmine incantato, non retinendum est. Alii vv. docti alia proposuerunt. Ac primum quidem quaerendum est, quid intersit inter pavere c. acc. et pavere ad. Legitur autem Liv. V 42, 4: 'quocunque clamor hostium, mulierum puerorumque ploratus, sonitus flammae et fragor ruentium tectorum avertisset, paventes ad omnia animos et oculos flectebant velut ad spectaculum a fortuna positi occidentis patriae',[1]) et Sall. Cat. XXXI 3: 'ad hoc mulieres, quibus rei publicae magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese, manus supplices ad coelum tendere, miserari parvos liberos, rogitare, omnia pavere', ad quem locum Kritz ed. Sall. 1828 annotavit 'pavere omnia' eodem plane sensu ac loco Liviano dictum esse. Qua in re erravit. Pavent enim mulieres ad omnia, quae *suis ipsarum oculis* vident, loco autem Sallustiano timent, ne omnia mala accidant, nostro sermone: sie hegen alle möglichen Befürchtungen vel: sie sind in Angst *bei dem Gedanken, daß* alles mögliche Schlimme eintreten könne. Cfs. etiam Curt. Ruf. VIII 14, 23: 'magnum beluae iniecere terrorem insolitusque stridor non equos modo, tam pavidum ad omnia animal, sed' etc. Liv. XXV 38, 17. Plin. NH II 12, 9 'misera hominum mente labe soluta in defectibus siderum scelera aut mortem aliquam pavente'. Hor. ep. 12, 25. Tac. Hist. I 29, 50. Videmus igitur aliquid interesse inter pavere c. acc. et pavere ad, ita ut hoc dicatur, si quis quid sensibus percepit, illud, si cogitat tantum de re, quae evenire possit. Valerius autem 'pavere' his locis adhibet: I 699 nec vana pavet. IV 9 Scythicaeque paventem

[1]) 'ad omnia' referanda esse ad 'paventes', non ad 'flectebant', vel ex ordine verborum apparet.

gentis opes. IV 460 imperium [Jovis] Juno pavet. V 5 hinc alios rapto pavet Idmone luctus. VIII 1 et iam sua facta paventem. VIII 449 cuncta pavens. Uno tantum loco invenitur ‘ad’: III 264 ceu pavet ad crines et tristia Pentheos ora Thyias. Quos locos Valerianos si inspexeris, eos omnes illi quem supra exposui usui convenire. Qua de causa non dubito affirmare etiam VI 441 ‘ad’ scribendum esse: Neque enim sidera timent, ne Medea carmina magica incantet, sed tum demum figuntur et pavent, cum haec carmina audiunt. Quid autem pro ‘fletus’ scribendum est? ‘flatus’ hac significatione nusquam legitur. Quare sequor Schenklium, qui p. 326 proposuit ‘ad fatus’ collato Prud. apoth. 594 (Dressel) ‘promite secretos fatus, date, pandite librum’. VI 553 auro V, ictu C Carr, *arvo T Junt I sqq. VI 559 *boum V, hominum C Carr. VI 594 *nec sanguine quisquam V, nec sanguinis usquam C Carr, quod falsum est. ‘Prior’ enim non ad Jasonem referri potest, sed ad eum qui cum Jasone comparatur. VI 618 *undantem V, sudantem C $Carr_2$. VI 651 *ad ignotum caput infletumque V, in admoti caput in fatumque C_1 $Carr_2$, quod iam particulae ‘que’ transpositionis causa improbatur, cfs. supra p. 39. VI 750 hiberis sidoniaeque V, Iber Essedoniaeque C Carr, *Hiber Issedoniaeque Thilo. VI 755 *paullum per V, paullisper C Carr. VII 7 *quo scire malo V C_1 $Carr_2$, quo scire modo C_2 $Carr_1$, cfs. supra p. 23. VII 119 aeeis V, Aet(h) aeis C, *Aeaeis edd. VII 145 *penates V, parentes C_1 $Carr_1$, quod removendum est. In somnio enim Medea hospitem et patrem vidit, cum experrecta esset, intellexit se somniasse neque quemquam horum adesse, sed famulas carosque penates. VII 159 sum memor ut tecum mecum partita laborem V, totum mecum C Carr. Quin autem ‘totum’ coniectura sit ex ‘tecum’, dubium esse nequit. Nam in v. 160 Juno se excusat, quod iterum Veneris auxilium petat, — quae iam partem laboris suscepit, cum ei cingula crederet. Nondum enim, ait, Medeam satis deceptam esse, qua de causa ipsa eat virginique persuadeat, ut Jasonem adiuvet. Quod minime convenit cum verbis ‘totum mecum partita laborem es’. Profecto in ‘tecum’ corruptela est, non in ‘mecum’, neque enim Juno dicere potest se cum Venere hunc la-

borem subisse, sed Venerem secum, quippe quae minores partes egerit. Thilonis autem ‘tu sis’ et Baehrentis ‘sis hunc’ displicent propter litterarum dissimilitudinem, malim ‘tantum’ (Giarr) aut ‘tu iam’. Cui non obstare equidem puto, quod copulae ‘sis’ ellipsis apud Valerium non exstat. Nam poeta copulas tam saepe et tanta audacia omisit, ut haec quoque licentia iure ei tribui possit. Cfs. enim IV 438 novimus et divis geniti quibus [sitis] et via iussos quae ferat. Ceterum cfs. Langenum ad v. II 51. VII 161 nunc decepta V, nunc furiata C Carr, *non decepta Schenkl (stud. p. 326—7). VII 179 *luciferae V, letiferae C Carr. VII 183 impediat nec aeta time V, ne impediat nunc acta time C_2 $Carr_2$, impediat nunc acta time C_1 $Carr_1$, *impediat ne coepta time Heins. VII 186 amplexuque petit V, amplexuque peti C Carr, *amplexumque pati Bon II. VII 202 *durae V Carr, dir(a)e C. VII 206 *arvis V Carr, oris C, quod huc minime quadrat, nam dira arva sunt ager Colchidos, ubi pugna cum viris terrigenis erit, cur autem aliae orae, ad quas cinerem ventis pelli posse concedo, dirae appellentur non est. VII 229 o nata malignis V, dis nata malignis C Carr, *o nata malignus R Bu. VII 283 (291 Thilo) dignior es et codd. Hunc locum poeta parum perspicue composuit. Exspectamus enim inter se opponi Medeam et Venerem-Circen, legitur autem ‘tu — meis venenis’. Medeae ipsi autem venena Circae opponi non posse apparet, quia hic quoque Medea Circae venenis utetur. Quare Leo (G. G. A. 1897 p. 957 ann.) affirmat in ‘meis’ esse vim et pondus orationis.[1]) Valde autem dubium est, num poeta ‘es’ syllaba producta scripserit, cfs. IV 191. 220 al., quod non legitur nisi Plaut. Mil. 25. Amph. 836. Asin. 57. Praeterea autem illud ‘sat’ pro ‘at’, quod Heinsius coniecit et omnes post eum receperunt praeter Leonem, necessarium esse mihi videtur hac de causa: Circe Medeae priores partes tribuere vult in Jasone adiuvando. Cuius rei causam affere non debet eam, quod sibi iam fama parta sit, cum etiam Medea gloriam iam sibi paraverit, cfs. verba ‘tu laude *nova* .... dignior’ sc. quam ego, quae

[1]) fortasse pro ‘meis’ ‘mihi’ scribendum est. Quod si fit, iam nulla est difficultas.

iam satis famae habeo. Quare Heinsio assentior scribenti 'sat'. Carrioniani autem codicis lectionem 'est et' lenissimam esse coniecturam metri causa factam nemo negabit. VII 299 *diras V, duras C Carr. VII 377 saevi V, suis C, *sequi T edd Carr. VII 379 cogant V m Bu, volunt C Carr, *rogant T edd. VII 394 namque codd Bon I II Ven I II, ipsa C Carr, *iamque. VII 550 partim graium V, parti Graium C Carr, *patri in Graium Schenkl. VII 564 *attoniti V, attonitis C Carr. VII 587 *inicit Aesonides dextram atque (*adque Leo) ardentia mittit V, C praebet pro 'atque' 'inque' ex coniectura; 'incitat' pro 'inicit' videtur errore exortum esse (ex 'incit'?). VII 616 *cristis V, castris C Carr. Ibid. *at vero V, adverso C Carr. VIII 34 *acta V, icta C Carr. VIII 77 meis tande V, me stante C Carr. Meyncke proposuerat 'miserande' nisus v. 99 neque viderat Medeam sic draconem alloqui non potuisse, quippe qua voce eius suspicionem movisset, quam verbis suis tollere vult!: 'quem metuis dolum?' Scribendum est aut cum Heinsio 'me astante' aut cum codice Regio 'me hic stante'. C autem praebet certe coniecturam. Quod Koesters l. l. p. 37 affirmat in monosyllabis in arsi alterius sedis Valerium vocalem non elidere nisi V 390, hic unus locus tamen rem satis confirmare mihi videtur.

VI.

A. Priusquam de iis locis loquar, qui solo in C genuinas lectiones exhibent, alia quaestio solvenda est, quae huc pertinet. Supra enim dixi Meynckeo non contigisse, ut demonstraret praeter V et S alios codices veteres in manibus vv. doctorum fuisse. Habemus autem codicem Parisinum 7647[1]) XIII. saeculi, qui excerpta Argonauticon continet et compluribus locis optimas lectiones exhibet, ubi in V et S menda deprehendimus. Quae excerpta ex V fluxisse plerique viri docti adhuc putaverunt, eos autem locos, in quibus Par a V recederet, partim ex glossematis exortos esse, partim inde quod excerptor textum

[1]) codex Escorialis I 14 (Q) ex Par descriptus est, cfs. Schenklium, Wiener Stud. XII p. 319, et partem tantum locorum Parisini continet.

sententiarum causa mutasset. Contra alii velut Meyncke affirmarunt, V et Par ex communi archetypo fluxisse, argumenta autem satis dilucida non attulerunt. Qua de causa hanc quaestionem denuo instituam.

Complura autem praemonenda sunt. Ac primum quidem reminiscaris hunc codicem tertio decimo saeculo scriptum esse. Quinto decimo saeculo viros doctos Valerio emendando operam dedisse docemur apographis, quae haud pauca hoc saeculo exorta sunt. Quod num etiam antea factum sit, enucleari vix potest, quare difficile est diiudicatu, utrum eae lectiones, quas Par genuinas praebet, correctori debeantur an ex meliore fonte fluxerint. Singuli igitur loci perscrutandi sunt, atque imprimis ll. I—IV 317, ubi ex V et S α restitui potest. Tum autem monendum est nos excerpta tantum in hoc codice habere, quae generalium sententiarum causa facta sunt. (cfs Schenklium p. 308.). Et quomodo talia fieri solita sint, ex aliis quae exstant florilegiis satis notum est: excerptor verba, quae supervacanea esse aut in sensum generalem non quadrare ei videbantur, aut omisit aut mutavit; interdum verba addidit, ut enuntiatum integrum redderet etc. Ab huius modi autem locis ei, qui propriam memoriam praebent, accurate seiungendi sunt.

In Parisino autem textus consulto mutatus est his locis:

I 23 omnes α, *amnes, ore Par (i. e. orae).

vv. II 117—122 e conexu cum antecedentibus soluti sunt et hac de causa excerptor verba ‘quam pater omnipotens’, quae pertinent ad ‘famamque’ versus 116, mutavit in ‘rex superum famam’.

II 263 eadem de causa ‘quando’, qua voce sententia cum antecedenti coniuncta est, in ‘certe’ mutatum est, ut per se stare posset.

VI 513 scripsit excerptor ‘redeunt tandem sua gaudia victis’ pro ‘eadem redeunt mox gaudia victis’, quia ‘eadem’ non intellegitur ab iis qui quae antecedunt ignorant.

VII 227 ‘omnibus hunc potius communem’ mutatum est in ‘cunctis communem’ vocis ‘potius’ causa, quod quo spectaret non apparere excerptor vidit.

VII 416 in V legitur 'aut tales tecet inelementia vultus', *'haud tales', quod quia nemo scit, quales sint vultus, excerptor mutavit, cum ex versibus antecedentibus pro 'tales' poneret 'pulchros'. Et ut versum suppleret, addidit 'equidem', ita ut in Par legamus 'haut equidem pulcros decet inclementia vultus'.

Certum autem iudicium ferri nequit de v. I 39 'fictis vultus dat et pondera dictis', ubi ne metri quidem ratio habita est, id quod errore factum esse puto, cum aliis locis excerptor rei metricae peritum se praestiterit (cfs. I 117. VII 416).

Excerptori tribuam etiam I 588 'abrumperet' pro 'rumperet', III 365 'animis' pro 'viris', II 46 'occurit' pro 'occurens', V 540 'quippe' pro 'namque' et 'viros' pro 'virum'.

Dubitari quid genuinum sit, potest de II 45 Au oculis Par, Non oculis codd. 'au' enim saepe ligatura est pro 'aut', quod hic optime quadrat. Similiter res se habet in v. VII 511 perstat Par, perstant V. Potuit enim excerptor scribere 'perstat', quia sequitur 'uterque', potest etiam in V mendum esse aberratione in sequens 'levant'.

Explicari autem non potest, cur III 365 in Par legatur 'igni', nisi putas excerptorem sententiam quam simplicissimis verbis reddere studuisse.

Omissa autem sunt, quia supervacanea erant, V 324 'semper' et V 536 'sic'.

Ex his quos attuli locis unum imprimis est concludendum: excerptor ille, qui sententias ex integro carmine Argonauticon elegit, doctus erat latinique sermonis admodum peritus, cfs. Schenklium p. 309.

Sunt autem alii complures loci, qui in Par egregias lectiones praebent, cum in VSα aperte corrupti sint: I 76 mentemque codd, *mentesque Par. I 327 amipli α, heu mihi Par, *ei mihi. I 330 paucos codd, *raucos Par. I 331 pontumque (potumque V) cretamque α, *pontumque polumque Par. deficiamus V, deficimus M (altero i correcto), *deficiam scythicum Par. I 580 quod codd, *quot Par. I 587 aeblus V, ebuis P, editus M expunctum, *Aeolus Par. I 595 refringet codd, *refringit Par. II 121 primis codd, *primi Par. II 263 fata codd,

*facta Par. VII 229 qua rediitque codd, *qua redit itque Par. VII 513 totiens ducis V, dulces totiens Par, *totiens dulces. Suntne hi loci e coniecturis restituti an propriam memoriam praebent? Emendari eos potuisse nemo erit quin concedat secundum ea, quae supra de ingenio excerptoris dixi, et re vera emendatus est I 327, ubi scriptura '*a*mipli' exortum est ex '*ei* mihi' neque ex 'heu mihi'.[1]) In editionibus autem priscis omnes uno excepto emendati inveniuntur, exemplo sit VII 229, quem Pius se emendasse ipse testatur, cfs. supra p. 21. Unus superest v. I 331 pontumque polumque Par, qui nisi in C in nullo codice aut editione emendatus invenitur. Suo autem iure Schenkl p. 310 affirmavit hunc quoque locum coniecturam praebere posse, cum quod in V legeretur 'potumque cretamque', aperte corruptum esset. Videmus igitur his locis pervestigatis nihil obstare eorum sententiae, qui Par ex V excerptum esse affirmant. Unum autem locum adhuc praetermisi. Legimus enim I 593 cohoruis V, cohoriu M, cohorius M_2, chorus Ox, unde concludas in S, quin etiam in α fuisse 'cohorius', h. e. litteram 's' suum locum iam non tenuisse. 'Coorstum' autem, quod Par praebet, e codice fluxisse videtur, in quo 's' litteram 'r' sequebatur, propius igitur ad genuinam lectionem 'cohors in monte' accedit. 'n' enim et 'u' et item 'i' et 't' saepe inter se confunduntur,[2]) ita ut littera 'm' bis scripta facile aliquis conicere potuerit 'cohors tum monte'. Itaque verisimile esse dicat quis Par ex gemello aut archetypo codicis α fluxisse, qui 'cohors in' aut iam 'cohors iu' praebebat. Sed primum importunissimum est, in tam difficili re uno tantum loco niti, tum autem eodem iure dici potest excerptorem corruptelam Vaticani emendasse aut in 'cohors tum' aut in 'cohors in', quae lectio postea demum neglegentia scribae depravata esset in 'coorstum'. Pro certo enim habeo Par non ex illo ipso codice excerptum esse, sed

[1]) Non mihi in promptu est exemplum litterarum 'ei' et 'a' confusarum, simillimo autem errore scribae legitur I 707 in M 'uisulcis satur' pro 'visu lassatur' (ci-a).

[2]) Optimum huius rei exemplum habemus I 357: apidaut V, abidanae M_2 ex 'abida ut', abidaut P, *Apidani.

potius apographon alterius florilegii esse. Neque enim illi viro docto, qui tot locis textum ex suo ingenio mutavit, illi errores tribuendi sunt, qui in Par insunt. Cfs. II 44—45, ubi legitur ‘ũ’ pro ‘non’, quod ex ligatura ‘ñ’ pro ‘non’ exortum est; idem habes in v. II 120. Jam in v. 45 pro ‘m’ et ‘n’ absurde scriptum est ‘u’ in ‘uoctisque’, ‘uetus’ (corr. metus), ‘uiger’ et in III 365 ‘meus’ pro ‘mens’. In eodem versu legitur ‘crupitur’ pro ‘carpitur’ et II 44—45 ‘utrunque corpus’ pro ‘utrimque campus’. I 586 quoque scribae error invenitur ‘est $\overset{\text{iter}}{\text{tunc}}$ hic’ pro ‘est iter hinc’ et I 248 ‘eunicite’ pro ‘evincite’, denique I 22 ‘priinis’ pro ‘primis’ et I 593 ‘coorstum’ pro ‘cohors tum’.

Cum his autem excerptis codex C his locis congruit — in veris lectionibus, in falsis consensus nusquam exstat: I 330 paucos codd Ac, *raucos Par QC Ald Carr. I 331 pontumque (potumque V) cretamque codd, *pontumque polumque Par QC Carr. VII 229 rediitque codd Junt I II Ald, *redit itque Par C m_2 T_1 Pi Mas sqq. Carr. VII 513 totiens ducis VB, t. dulcis Junt I II, t. dulceis Ald, *t. dulces C Carr, dulces totiens Par. Quos locos si respexeris, unius rationem esse habendam videbis, sc. I 331, nam ceterae scripturae etiam in aiiis codicibus aut editionibus apparent. Eas autem coniciendo inveniri potuisse nemo negabit, ita ut minime necesse sit putare eos codices et editiones ex Par aut aliquo codice, qui haec excerpta praebebat[1]), correctos esse, id quod ne verisimile quidem est, neque enim integri codices ex excerptorum codicibus corrigi solebant. De illo uno autem loco I 331 vide quae p. 65 dixi et quae Schenkl l. l. suo iure affirmat, scil. duos viros casu eandem coniecturam facere potuisse loco tam aperte corrupto.

B. Nunc autem videas eas lectiones, quas C solus genuinas praebet. Jam Langen (praef. p. 3) et Leo (G. G. A. 1897 p. 960) complures enumeraverunt locos, quibus probabant C ex meliore fonte correctum esse, vel fluxisse. C autem ex V vel

---

[1]) Exstabant enim certe complures excerptorum codices, cfs. Escorialensem ex Par descriptum. Jam conferas Schenklium p. 310 et Manitium Philol. XLVIII p. 253.

eius apographo γ descriptum esse satis adhuc exposui, et longe plerosque illorum locorum, quos Langen et Leo attulerunt, iam in aliis codicibus et editionibus correctos esse aut iniuria in textum recipi demonstravi. Pauca tantum addam. Habemus enim inter hos locos complures, ubi, ut Leo affirmavit, quomodo corruptelae Vaticani exortae sint, e codicis C lectionibus cognoscitur; eodem autem iure dicitur has lectiones esse coniecturas, quia Vaticani memoria aperte corrupta est, (cfs. p. 41), velut I 330 p. 27, V 147 p. 34, V 338 p. 20, V 370 p. 34, VI 247 p. 31 sq., VII 283 (291 Thilo) p. 61 (cfs. etiam p. 7 sq.), VII 319 p. 34, VII 373 p. 34, VII 513 p. 66, VII 541 p. 21, VII 557 p. 41. Idem dicitur de III 519 et V 680, quos infra tractabo. Aliis autem locis non ex lectione codicis C intellegitur, quomodo lectio Vaticana exorta sit, sed ex lectione Vaticani, quomodo lectio codicis C, velut 420 p. 39 sq., II 600 p. 41 sq., IV 173 p. 52, IV 287 p. 45 sq.; idem dicitur de vv. I 331. I 812. V 692, de quibus infra demum verba faciam. Unus superest v. VII 533, de quo videas p. 76.

Prius autem afferendi videntur loci, quibus lacunae bene expletae sunt, hi:

I 132 corripit sedet V, corripit illa sedet C Carr,[1]) c. ipsa sedet Giarr, quod aeque bonum est. V 67 veluti grecis V, velut ille gregis C Carr, velut ipse gregis Mas. V 287 manet aegida V, manet ingens aegida C Carr, magnus manet aegida Baehr. aeque bene. II 322 ait haec credite puppis α, ait haec hospita credite puppis C $Carr_2$ (hac C_2 operarum vitium esse videtur), cfs. V 385 'nos hospita pubes advehimur'. II 535 fluctus defertur in imos α, fluctus defertur bellua in imos C $Carr_2$, quod optime in sensum quadrat, quamquam quomodo fieri potuerit, ut scriba 'belua' omitteret, non liquet. Ad hunc locum conferas Koestersium,[2]) qui 'belua' non legendum esse censet,

[1]) Ex Carrionis verbis non satis apparet, num illa lectio in C fuerit: 'vet. cod. Hic insperato. Si cui tamen prior lectio magis arriserit, per me ea fruatur licet, dummodo quod sequitur corripit illa sedet malit quam corripuit silet haec'.

[2]) Quaestiones metricae et prosodiacae ad Val. Fl. pertinentes, Monasterii 1894 p. 41/42.

quod synaloepha in arsi quintae sedis non inveniatur, nisi 'a' aut 'e' sequatur, cfs. I 153. II 104. IV 678. VII 551, uno loco excepto V 198 condita inani. Vides autem etiam II 535 'a' et 'i' conlidere. Ceterum in tam paucis locis dubium est, num regula certissima statui debeat. III 298 meque tuus nunc α, meque tuus melius nunc BT Ac, meque tuus potius nunc C_1 Carr. III 519 actumque movebo α, aberratione in v. 520, actumque per omnem C Carr. IV 417 ab arce . . . V, ab arce poli Ac, *ab arce Phari C Carr, quod e v. 408 facile conici poterat. V 197 fave et patrias reminiscere terras V, *fave et patrias placidus reminiscere terras C Carr. V 440 trepidi Phasidis V, *tr. per Phasidis C Carr. V 605 . . . signa sequantur V, sua signa sequantur Ac, *quae signa sequantur C_1 Carr. VII 24 languentes erigit V, *languentes levis erigit C Carr.

Separatim tractavi lacunas, quia in his facilius coniectura inde fieri potuit, quod correctori e re metrica mendum in aperto erat. Huc accedit, id quod iam supra admonui p. 40, quod correctores non ignorabant plerasque lacunas aberratione scribae in vocem similem exortas esse.

Praeter hos autem locos aliis circiter quadraginta C bonas lectiones praebet, quarum hae quin facile coniciendo inveniri potuerint, vix quisquam dubitabit: I 331 cfs supra p. 65. I 593 cohoruis V, cohorius S, cohors montemque Ac, *cohors in monte C_2 Carr. I 704 ira codd, Ida H Parrh Ac $Carr_1$, *ora C_1 $Carr_2$. II 6 freti codd, freto B T Bu, *fretis C Carr. II 502 passusque sinu codd Ac, *passosque sinus C Carr. Neque enim difficile erat visu 'pass*us*que cervix' esse corruptum. III 106 Ochenii codd Ac $Carr_1$, *Olenii C $Carr_2$, Oclenii Cok. Olenii autem recte legi e sententiarum conexu apparet. Mopsus enim et Eurytus Corythum (v. 98 sqq.) animadvertunt, qui cum ipse hostes vidit, subsistit. Subito autem Tydeus venit eumque interficit hasta. Tydeus autem Olenius dicitur ab Oleno oppido Aetoliae, cfs Stat. Theb. I 402 (Lang.). 'Olenii' vero pendet a 'cuspis', non ab 'ilia', neque enim pronomen 'ille' referri potest ad eum, qui modo commemoratus est, sc. ad Olenium. III 210 crebrescit codd Ac $Carr_1$, *crudescit C $Carr_2$, cfs. Verg. Aen. VII 788

'quam magis effusi crudescunt sanguine pugnae'.

Idem XII 833. Similiter Val. Fl. II 509

'ecce ducem placitae furiis crudescere pugnae'.

II 278 fletus codd Ac, *flatus C Carr. III 367 oculis sacerque codd, oculis sacer atque m_2 T Ac, *oculis acerque C Carr. IV 111 agens in V B Bu, agens ni Sm_2 T Ac, *agens sin C_1 Carr. IV 551 tamira V, tantum illa T Ac, *tam mira C Carr. IV 572 si qua brevis scopulis fieret mora V, pro 'fieret' in C legitur 'fuerit'. Nuper Langen lectione codicis C recepta negavit 'si-fuerit' esse partem sententiae per condicionem expressae, sed esse votum Phinei: utinam mora sit scopulis! sed cum non sit, nunc (sic scripsit L. pro 'tunc' codd.) medio recursu fuga est properanda! Sed primum non intellegitur, quid sibi velit coniunctivus perfecti 'fuerit', exspectares enim 'sit' vel 'esset'; neque enim cum mora fuerit, res prospere cedet, sed dum mora erit. Tum autem morae non recte opponitur recursus, sed cursus vel potius motus. Offendebat autem Langenum scriptura Vaticani, quia si mora est, in recursu esse, h. e. moveri, scopuli non possunt. Quae autem est illa mora? Hoc enim primum quaerendum esse puto. Samuelsson (diss. p. 188) suspicatur esse eam moram, quae inde fiat, quod Juno et Minerva scopulos teneant (cfs. vv. 682 sqq.). Quod nego. Iterum enim nec 'fuerit' nec 'fieret' exspectares, sed 'sit' aut 'fiet', quod nonnullae editiones praebent, et iterum mora et recursus inter se pugnant. Neque enim recursus est secunda collisio scopulorum, sed discessus post primam collisionem, neque deae scopulos fixos tenent, cum discedunt, sed cum denuo collisuri sunt. Deinde Phineus de initio coepti verba facit, Juno et Minerva autem tum demum advolant, cum Argonautae iam medios inter scopulos sunt. Denique Phineum quamquam deos Minyas adiuturos esse sperat, hoc non certe scire et quomodo hoc futurum sit, ignorare infra ostendam. Mea autem sententia est mora ea, quae interest inter scopulos concurrentes et discedentes, 'brevis mora', nostro sermone 'der tote Punkt', quae accuratius definitur verbis quae sequuntur: 'si *semel orsis* ulla quies'. Sensus igitur totius loci hic est: Si Symplegades semel concurrerint

et si brevis illa mora fuerit et si scopuli coeperint a se discedere, tunc, medio in hoc recursu, fuga est properanda. Atque properanda est medio in hoc recursu, h. e. neque initio, quia tum spatii satis non est navi, neque in fine, quia tum tempus iam non sufficit. Phineus igitur Argonautis suadet, ut tempore quam maxime possint utantur — conferas etiam 'fugam *properare*' — neque quidquam haec verba ad eius vaticinium attinent. Quod et aliunde probatur. Pergit enim: Scopuli terram tangent, tum denuo irrumpent (vv. 574—6) — subito autem sermonem interrumpit: 'verum animo redit illa meo sors cognita divum', et nunc demum sequitur vaticinium. Ergo quae antecedunt, non vaticinatus est Phineus, sed suasit tantum ex suo ipsius ingenio. Hoc autem consilium praeteritionis forma quae dicitur induxit poeta:

'ast ipse iuvare
ausa quibus monitis possim tua?'

Si autem locum ut modo feci explicamus, apparet nec 'fieret' nec 'fiet' stare posse, cum moram et quietem fuisse necesse sit, si fuga paratur, sed scribendum esse 'fuerit' cum codice Carrionis. Quod lenissima correctura ex V restitui potuisse nemo negabit. De Leonis autem emendatione, qui vv. 572—76 post v. 566 posuit, iam non opus est verba facere. IV 676 fuso codd Ac $Carr_1$, *fumo C $Carr_2$. V 203 misceat V m Bu, miceat m_2, micat BT_1 Pii codd, *micet C Carr. V 254 refosis V, refossis m BT Bu, *refusis C Carr. V 273 regnum VBR Bu, *regum C Carr.[1]) V 464 regis codd Ac $Carr_1$, *reges C $Carr_2$. V 534 haud ali V, haud alio m BT Ac, *haud tali C Carr. V 645 cara codd Ac, *clara C_1 Carr. V 680 ergo codd Ac, *ordo C Carr. VI 217 parenti codd, parentis Ac, Phaleri C Carr, cfs. I 398 et VI 654. Jam Maser h. l. nomen proprium restituendum esse affirmaverat. VI 279 magnosque dolores codd Ac, quod sensu caret, *magnoque doloris C Carr. VI 474 alienaque cura pericli codd Ac, *alieni cura pericli C Carr. Scripturam autem codicum sensu carere apparet. Praeterea Vati-

[1]) Fortasse scribendum est 'magn*ae* regum cum milibus urbi', 'regum' autem gen. poss., non partit. accipio.

cani testimonium deest, ignoramus igitur, utrum in V fuerit 'alienaque' an 'aliena'; nam in Monacensi, qui 'alienaque' praebet, haud paucis locis leviores corruptelae Vaticani emendatae sunt. VI 516 tuque veri V m B Bu, tu veri T Ac, *tuque feri C Carr. Metrum enim in V corruptum correctori offensionem praebebat. VI 572 Ablatacum V Bu Ac, *at Latagum C Carr, cfs. V 584. VI 638 Arinae nolbumque V m, Arinem Nolbumque T Ac Carr. *Arinen Olbumque C. VI 706 ait V m, hiat T edd, *agit C Carr. 'hiare' enim cum accusativo coniunctum duobus tantum locis inveni, ubi significat 'canere', cfs. Prop. II 31, 6 'tacita carmen hiare lyra' et Pers. V 3

'fabula seu maesto ponatur hianda tragoedo',

quare nescio an h. l. non recte legatur 'hiat'. Neque 'ex ore' verba opus est apponere ad 'hiare', quippe quod iam ad os referatur. Contra optime quadrant ad 'agit', ad quod etiam Vaticani scriptura propius accedit. VI 734 quo fellet V, quo fallat C, quod nuper recepit Giarratano, quamquam valde dubium est, cum omnino nihil dicatur de Aeeta, quem fallere Argonautas Perses cupit. Neque enim ad 'fratris' versus 730 hoc verbum referri verisimile est. Baehrens hac de causa proposuit 'falli et', quod in sensum optime quadrat. Suo autem iure eum refutavit Koesters l. l. p. 47, cum diceret ab arsi quintae sedis nusquam imminui syllabam productam vel mediam, nisi quod exstaret VI 300 'atque iterum intrat', qui locus huc non pertinet.[1]) Alii editores scribunt cum Wagnero 'qui fallat', quod ego quoque praefero, quamquam non dies, sed Aeetes potius fallet. 'fallat' autem ex sequenti 'videam' facile correctum est. VII 187 festinansque codd Ac, *festinamque C Carr. VII 486 abibo codd Ac C_2, *obibo C_1 Carr.[2]) VII 541 fretis codd Ac, *freto C Carr. VIII 62 advocat ultro codd Ac, *ac vocat ultro C Carr.

Quicumque hos locos perlegerit, mihi concedet ne uno quidem loco necesse esse putare C e codice melioris auctoritatis

[1]) Cfs. etiam Eskucheum, Die Elisionen am Schlusse des lat. Hexameters, Rh. Mus. 1890 p. 393 sqq.

[2]) De discrepantia inter C_1 et C_2 exstante cfs. supra p. 23.

correctum esse, sed omnes illas bonas lectiones coniciendo inveniri potuisse. Quod paulo difficilius est diiudicatu his locis:

II 439 vates amothra dicam V, vates Samothraca diemque C Carr, ubi Schrader et alii recte scribunt 'va*ti* Samothraca diemque', cfs. schol ad Ap. Rh. I 920: *τὰς τελετάς· λέγει τὰς ἐν Σαμοθράκῃ ἀγομένας, ἃς εἴ τις μυηθείη, ἐν τοῖς κατὰ θάλασσαν χειμῶσι διασῴζεται . . . . μυοῦνται δὲ ἐν Σαμοθράκῃ τοῖς Καβείροις, ὡς Μνασέας φησίν.* Ceterum cfs. Langenum de hoc loco. Respicias autem hoc loco coniectura opus fuisse, quia V graviter corruptus erat,[1]) et e scriptura Vaticani haud magno labore ea conici potuisse, quae C praebet. Idem dicendum est de v. III 182 at diversas agent S m U (V deest, sed eandem scripturam exhibebat, cfs. consensum inter S et m exstantem), ex qua scriptura litteris diligenter seiungendis nomen proprium, ad quod 'turbantem' spectat, corrector enucleare poterat: *at diversa Sagen C Carr. III 341 fortuna codd sine ullo sensu legitur, veram lectionem 'festina' C Carr corrector e sequenti 'rapuit' inveniebat. V 484 in V legitur 'oste' misere corruptum, C praebet 'forte', recte legitur 'sorte'. Ac ne hunc quidem locum ex meliore fonte fluxisse necesse est; corrector enim quin illam pravam lectionem Vaticani emendare studuerit, non dubito. Utrum autem 'forte' scripserit an 'sorte', nihil refert; si scripsit 'sorte', id quod verisimilius est, scriba codicis C, cum C ex γ exararet, 's' et 'f' inter se confudit, cfs. etiam VI 69 sidonya V, Fidon C. Duobus autem locis gravius corruptis C egregias coniecturas praebet, dico V 379 arma codd Ac, *ora C Carr, et VII 590 carminis codd Ac, *cornibus C Carr. Illic autem verba 'arma' et 'teque renodatam pharetris' inter se pugnare quin corrector animadvertere potuerit, dubium non est, et quicunque carmen accuratius legerat, facile videbat Medeam non carmine suo Jasonem adiuvare, sed arma eius venenis oblivisse, ut eum a tauris defenderet.

Aliis autem duobus locis diiudicari nequit, num Carrio genuinas lectiones e codice suo sumpserit: I 68 enim legitur 'aut

[1]) Mendum iam in α erat, cfs. vates amothra cadicem M Ox2, vates amothra radicem Ott, vades amota caticem Ox.

curru saevos' codd Ac, cum Carrio in scholiis et castigationibus dicat: 'haec autem germana et vera lectio est, aut curru ut saevos', quod satis magna audacia dictum tamen Valerii sermone non indignum est et optimum sensum praebet. Et I 178 legimus in V 'evenietq' (eveniet V_2 in rasura), sed et m, sede S, sedeatque T_1 NB Ac, cum Carrio annotet 'ego sane lectionem, quae maxime Valeriana videtur, elegi' scribens 'si des' optimi sensus. Fortasse hos locos Carrio ipse emendavit.

Si haec quae exposui respexeris, spero te mihi concessurum esse nos ne uno quidem loco cogi statuere C ex meliore codice correctum esse.

VII.

A. Restat ut pauca addam de iis versibus, quos C solus exhibet. Jam supra p. 32 sq. duos versus VII 579—80 attuli, qui in V desunt, in C m T N autem et omnibus ante Thilonem editionibus insunt. Quos genuinos non esse iam Thilo recte statuit (p. LIII). Sunt autem alii, qui solo in C leguntur, velut I 830

'Juppiter et primae velit omnia reddere massae',

quem in margine codicis ascriptum esse Carrio testatur, qua in re haerendum est, si respicis Pium ex exemplari manu Pomponi Laeti elimato alios duos versus proferre ad lacunam supplendam, quae unicuique legenti conspicua est. In versu leonino qui dicitur nulla est offensio, quippe quem Valerius persaepe usurpaverit. Fortasse autem offensio inest in voce 'massa' pro congerie confusa elementorum dicta, quae vis huius vocis non invenitur nisi Ov. fast. I 108 et met. I 70.[1]) Valerius ipse massam non dicit nisi de massa aeris, cfs. II 339 et IV 613. Versum III 77

'hostis et exciti dent obvia praelia Colchi'[2])

Valerii non esse Thilo (p. XLIX—L) ostendit. Nec minus de v. IV 196

'taurus aquis qui primus init spernitque tumentem'

---

[1]) Hoc loco in aliis codicibus legitur 'massa latuere sub illa (ipsa)', in aliis 'fuerant caligine caeca'. Fortasse illa lectio ob ipsius vocis 'massa' vim praeferenda est.

[2]) Hic quoque versus in margine erat, aeque tamen vetusta scriptura, ut Carrio annotat.

Thiloni assentior dicenti neminem hoc versu offensurum esse, si in meliore codice traderetur. Monendum autem est in T alio versu lacunam expletam esse

'rumpit aquis aries medioque in gurgite ductor'.

Ceterum conferas Stat. Theb. IV 436 sqq., unde ambo versus facile conici potuerunt. Reliquus est v. VII 633

'infectam dederat ususque armarat in illos',

in quo offensionem non esse concedo, nisi quod solo in C traditur.

De iis autem versibus, qui in C desunt, rectum iudicium Schenkl (p. 330) tulisse mihi videtur. Pauca tantum addam. v. V 542 enim aberratione scribae omissus est, cfs. supra p. 55; idem dicitur de v. VI 195—196, ubi scriba a voce 'hasta' versus 194 aberravit in vocem 'hasta' v. 196. v. II 136 autem deesse non potest, quin una conexus sententiarum intereat. Versibus IV 86 et V 83 quamquam carmen carere posse conceditur, tamen inde, quod hic in margine ascriptus est, illum quoque neglegentia omissum esse concludas.

B. Quoniam adhuc demonstrasse me spero nullum omnino vestigium melioris codicis in C inveniri, restat, ut paucos locos commemorem, in quibus quamquam scripturae Vaticani et Carrionis codicis aeque bonae sunt, tamen Vaticanae lectiones praeferendae sunt. Quonam modo lectiones in C exortae sint, merane libidine coniectandi an corruptelis, quae in γ inerant, emendatis, enucleari iam non potest. Videas autem hos locos:

I 812 que-quae V, que-que M, quem-quem Bon I II Ven I II Mas, quin-quin C[1]), *quae-quae edd. II 594 nepotes codd Ac Langen, penates C Carr Thilo Schenkl Baehrens. Ad quem locum Langen suo iure annotat non esse, cur Vaticani scriptura respuatur, et pluralem numerum defendit. Addere potuit inter Argonautas duos nepotes Aeolios esse: Jasonem et Acastum, filium Peliae. Quare aut scriba erravit aut corrector non ignorans has duas voces saepius confundi (cfs. I 721. III 14), consulto 'penates' scripsit. II 620 *stupuitque fragore codd edd $Carr_1$, stupuitque fragorem

---

1) Carrio nihil dicit nisi: maiorem certe [vim habet] repetitio illa, quam si legas cum vulgatis libris 'quam fida manus quem' sine ulle commodo sensu.

C $Carr_2$, cfs. I 742. V 97 al. III 103 *et Tydeus codd edd, at Tydeus C Carr. III 125 *decurrit ab urbe codd Ac, decurrit ab arce C Carr. De hoc loco cfs. Schenklium p. 328. IV 73 *auditus codd edd $Carr_1$, auditur C_2 $Carr_2$. V 260 *seri codd edd, saevi C Carr. V 515 *da iungere dona codd Ac, da iungere dextram C Carr. V 692 phlegyas qui codd, Phlegraeas C Pi Mas sqq., quod omnes editores receperunt praeter Thilonem et Giarratanonem scribentes 'Phlegrae qui', quod praeferendum est, cum non sit, cur illud 'qui' insertum sit. 'Phlegy*as*' autem e sequenti 'pugn*as*' facile exoriri potuit. VII 341 qui nunc est o crudelis m (V deest neque constat num 'o' iam in V infuerit), primaevus C N. Meyncke l. l. p. 15 sq. monuit Medeam et suae et Jasonis aetatis memorem esse et dixit lectionem 'o crudelis' interpolatori tribuendum esse, qui in hac interrogationis forma desideraret vocandi casum, qui mente sane addendus esset. Quod nego, cum multo verisimilius sit, ut recte Thilo et Schenkl viderunt, offensioni fuisse correctori 'crudelis', quem casum vocativum esse non intellexit, quare 'primaevus' ex antecedentibus 'primo potes hoc durare sub aevo' sumpsit. Quid autem scribendum sit pro 'qui nunc est', incertum est, neque enim placent quae adhuc vv. docti proposuerunt. Giarratano Vaticani scripturam servavit, quomodo autem intellegenda sit, fateor me ignorare. Neque enim 'qui nunc est' idem esse ac 'qualis nunc est' et poetam his verbis designare Jasonis aetatem et formam credibile est. Res igitur in dubio relinquenda est. VII 442 funeris Juno ubi nunc V metro violato, funeris en ubi Juno ubi nunc C Carr, eodem autem iure scribitur 'o ubi Juno ubi nunc' Ac, cfs. IV 469 al. Haud male Leo (G. G. A. 1897 p. 961) proposuit 'Juno ubi nunc ubi nunc', quod reciperem, nisi quae antecedunt audacius mutasset.

'cras saeva manebant
funera. Juno ubi nunc, ubi nunc' etc.

VII 533 iterum mihi care V, iterum carpende C Carr. Quod quamquam non, ut Thilo affirmabat, inepte dictum est, cfs. enim exempla quae Langen collegit, tamen non est, cur Vaticani lectio removeatur, quippe quae optimum sensum praebeat. Medea enim Jasonem amat, et iterum eum amat, quod tanta pericula

subit et subibit. Cfs. autem Cic. Phil. II 65 '[populus Romanus erat exteris gentibus] iustitia [Pompei] carior'. Neque in 'iterum care' et haerendum, cfs. 'iterum consul' et similia. Qua de causa suo iure Giarratano lectionem Vaticani praetulit lectioni codicis C, quae pro coniectura habenda est. VII 630 videre codd Ac, odere C Carr, quod paucis exceptis omnes editores receperunt. Schenkl et Langen proposuerunt 'adiere'. Fateor autem me offensionem in 'videre' non invenire, nisi quod variis temporibus poeta usus est, id quod tamen saepe apud Valerium exstat. Ceterum incertum est, num Valerius re vera scripserit 'volant'. In V enim legitur 'iubant' et fortasse scribendum est 'ibant', cfs. Verg. Aen. IX 418. XII 283; neque enim in quattuor spondeis offendendum est, quae forma hexametri apud Valerium quinquagies quater exstat (cfs. Petersium l. l. p. 29).

Quibus locis addam alios tres, ubi eodem iure ac lectiones codicis C aliae in textum recipiuntur, qui in V corruptus est:

I 271 indeme V, inde me S, inde viae V_2 P (V in marg.) Ac. Quod quin falsum sit, non dubito, cum qui sit hic calor, sequentibus demum verbis exponatur: 'ire per altum magna mente volunt', et calor c. gen. obiectivo coniunctus nusquam inveniatur. 'Mero' recepit Koestlin (Philol. V 321) ex m_2, sed non perspexit, quo illud 'inde' spectaret. Neque enim 'inde' pertinet ad tempus, sed ad id, quod in versibus antecedentibus poeta descripsit, h. e. ad aspectum parvi Achillis tam fortem animum praebentis. C autem exhibet 'magis', quod ut reiciatur certa desunt argumenta, nisi quod exspectares adiectivum pro adverbio. Optime autem in scripturam traditam Baehrentis 'idem' quadrat, sed hic usus vocis 'idem' nullis exemplis confirmatur. Quid igitur scribendum sit, incertum est, fortasse 'novus'. VI 3 videri codd Ac, tueri C Carr sqq. Nuper Summers l. l. p. 38 'videri' recepit collato Ov. met. XIV 727, quamquam ibi res aliter se habet. Iphis enim dicit Anaxaretam se ipsis oculis exanimum visuram esse, cum Mars non in animo habeat ab hominibus videri, sed videre tantum, quomodo Graios perdat, cfs. v. 6 sqq. 'videri' igitur scribendum non est, id quod etiam corrector animadvertere et 'tueri' substituere potuit. Quod

recipere non necesse est, potest enim legi 'videre', quamquam etiam VII 503 in V 'videri' et 'tueri' confusa habemus. V 537 in V traditur

'non pascua nexos
hic tibi nocturnis mitte haec simulacra panis'.

Pium recte coniecisse 'simulac*ra ra*pinis' equidem censeo propter litterarum similitudinem. Et quod nuper Langen recepit ex codicibus deterioribus 'mitte haec simulacraque Panis' propter 'que' particulae positionem respuendum esse apparet ex eis, quae supra p. 39 sq. de hac re exposui. Accedit, quod in V traditur 'nocturnis', quod quamquam corruptum esse et lenissima mutatione ('nocturnus') ad vocem in 'nexos' corruptam referri potest, tamen mutandum non esse puto, quia ne pascua quidem adiectivum sequitur. Ceterum conferas a v. 530: 'fraude nova — stabula — furtis inultis — greges .... pavidos magistros — stolidum pecus .... pascua — nexos'. Pro 'nexos' autem iam in Bon II legitur 'nec bos', et C praebet 'nec spes', quae quin prava coniectura sit non dubium est. Coniecit autem Salmasius 'seps' = 'saepes' pro 'spes' et dicat quis 'spes' corruptum esse e genuina lectione 'seps'. Quod fieri potuisse concedo, sed tum quoque 'seps' pro coniectura in γ facta habenda est, nam multo minus placet 'seps' quam 'bos' hac de causa: legimus enim in v. 531 'stabula — greges', quibus respondere puto in v. 536 'magistros — pecus' et in v. 537 'pascua — bos', non autem 'seps'. Pascua metaphorice dici possunt pro pecore, quod tamen nostro loco licere nego, quia statim sequitur 'seps'. Concedo autem hoc argumentum non tam firmum esse, ut res sine ullo dubio diiudicetur.

Quoniam ad finem quaestionis perveni, restat, ut pauca nomina propria commemorem, de quibus haud scio an nunquam certi quicquam statui possit:

IV 719 nouasque V, Melasque C. VI 100 nouae V, Norae C. VI 102 Taras V, Tarax C. VI 200 ocheus V, Oebreus C. His autem locis in Vaticani lectionibus acquiescendum est, cum quae C praebet nulla omnino re ut genuina esse putemus commoveamur.

Index locorum.

Vita.

Natus sum Paulus Waldemarus Krenkel in oppido Riesa a. d. XII. Kal. Nov. anni proximi saeculi LXXXIV patre Georgio matre Alma e gente Lissner. Patrem carissimum praematura morte mihi ereptum esse valde doleo. Fidem profiteor Lutheri evangelicam. Litterarum elementis imbutus et Ostravii in vico prope Riesam sito, quo parentes transmigraverant, et Riesae anno IC proximi saeculi Gymnasium Regium Wurzense adii, cuius per sex annos discipulus fui rectore Roschero. Vere anni h. s. quinti maturitatis testimonium adeptus Lipsiam me contuli, ut philologiae studiosis ascriberer. Docuerunt me viri illustrissimi Bethe, Brugmann, Gardthausen, M. Heinze, R. Heinze, Hofmann, Holz, Jmmisch, Jungmann, Koester, Lipsius, Martini, Marx, Schreiber, Sievers, Studniczka, Volkelt, Witkowski. Proseminarii philologi per quattuor semestria sodalis fui moderante Jmmischio, seminarii per duo semestria auspiciis Bethei, Heinzei, Lipsii. Ad seminarium paedagogicum benigne me admisit Jungmann, ad proseminaria germanica Holz, Köster, Sievers, ad exercitationes germanicas, goticas, metricas Holz, archaeologicas Schreiber et et Studniczka.

Quibus praeceptoribus omnibus maximas habeo gratias. Praecipue vero Justum Hermannum Lipsium, qui studiorum meorum fautorem benevolentissimum atque humanissimum se praestitit, pio gratoque animo semper colam.